



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**EXEGESIS || IN EPISTOLAM || D. PAVLI AD EPHESIOS ||  
ECCLESIAE, SANCTORVMQVE PA-||TRVM MENTI, ITA,  
DEFENDENDIS PRÆ-||cipuis fidei dogmatibus accomodata,  
vt à Ro-||berti Rolloci Scoti, Eidenburgensis ...**


**Stevartius, Petrus**

**[S.l.], 1593**

**VD16 S 8959**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70277)





Th. 6009.

S. XI. 44.




*H*

*P XI*

*22*

*H a*







EXEGESIS  
IN EPISTOLAM  
D. PAVLI AD EPHESIOS  
ECCLESIAE, SANCTORVMQVE PA-  
TRVM MENTI, ITA, DEFENDENDIS PRÆ-  
cipuis fidei dogmatibus accommodata, vt à Ro-  
berti Rolloci Scoti, Eidenburgensis Ecclesiae mi-  
nistri, praua, quam nuper edidit, expositione vin-  
dicetur, ad publicam disputationem INGOL-  
STADII IX. Aprilis, DEO bene iu-  
uante, proposita.

PRÆSIDE ET AVCTORE  
*PETRO STEVARTIO LEODIO,*  
SS. LITERARVM IBIDEM PROFESSORE ORDI-  
NARIO, *MAVRICIANO pastore, & Ser. mi utriusque*  
*Bauariae DVCIS, &c. Consiliario.*


DEFENDENTE VERÒ  
REVERENDO ET DOCTISSIMO DN.  
M. ANDREA MELEMIO AD S. MAVRI-  
CIVM Presbytero, & ACADEMIÆ ibidem  
BIBLIOTHECARIO.


INGOLSTADII,  
Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.


---

*Anno M. D. XCIII.*



  
IN ARGUMENTVM  
DE PRÆDESTINATIONE,  
CARMEN PHIL. MENZELII  
D. MEDICI.

VIS dominatoris cognouit sensa Deorum?  
Aut à consiliis fuit? aut largitor eidem.  
Dona prior dedit, ut repetat pensanda vicissim!  
Nonne, semel cœlo quos destinat, ille, vocatos  
Sorte, facit iustos idem, factosq; coronat?  
Antiqui male sanguis Adæ, patris amul aproles,  
In vitium tenero iam dum proclinis ab ortu,  
Usque sub extremum vitæ, gelidamq; senectam;  
An meritis nitare tuis? circumspice latè:  
Nulla via est, qua te ipse feras sublimis ad astra:  
Immensum magno chaos intercedit hiatus,  
In medio: penitis ad eò radicibus herent,  
Scilicet admorsis primaeva piacula mali.  
Una DEI bonitas, vna indulgentia fontes  
Preuenit; & miserans legit alta mente, beatas  
Ad sedes Superùm, æterna ditione tenendas:  
Naturamq; supra, filo dux dirigit aureò.  
Ipsa DEI soboles ad se, patremq; veniri  
Possè negat, nisi spontè vocet prius ille, trahatq;.  
O altum immensum, numeroq; modoq; carentes  
Diuitia, quas summa DEI sapientia summi  
Condidit illa sibi; nulloq; scientia fine!  
Ut tua iudicia, & quæstet sententia menti,  
Conditor ô, custosq; hominum, comprehendere non est  
Sensibus his! ut nulla viam vestigia monstrant!

  
ERRATA.

Pag. 10. 12. in tit. lege Exegetis, pag. 31. lin. 13. fide. pag. 50. lin. 7. idea. &c.





ILLVSTRIAC GE-  
NEROSO DN. D. ANTONIO  
FVGGERO SENIORI, BARONI IN KIRCH-  
BERG & VVEISSENHORN, &c. Domino pa-  
trono meo honorando.

**D**oste aquam sacrorum oraculorum  
interpretes, Illustris & Generose Domine, Pauli ne- 2. Corinth. 10.  
glecto consilio, tum humani ingenij acumine, tum  
natura & rationis vi potius, quam fidei à maioribus  
accepta, niti ceperunt tantum priuatae suae opinionì  
detulerunt; ut ab omnium sententiis, qua nescio ve-  
recundia, discederent, quasi, ut est apud eundem Apostolum, vel ab 1. Corinth. 14.  
ipsis Dei verbum processisset, vel ad eos solos peruenisset. Cui malo, salu-  
taria remedia iam pridem videri poterat, attulisse Vincentius Lyrinen-  
sis, quando mentem & voluntatem diuinam ex sacris literis eruturos,  
monuit, ut in priores interpretes, à quibus Dei verbum processit in po-  
steros, spectarent, ne priuatum suum sensum tenaci contentione defen-  
dant: sed reliquos prius Ecclesiae Doctores consulant; ut si viderint omni-  
bus iam probari, quod sentiunt, tutò iam teneant: sin reprobari, tutò iam  
deserant. Quo salutari consilio sit perspicuum, eos, qui à communi se Ec-  
clesiae fide se iunxerint, priuatamq; opinionem eligentes ab institutione  
Catholica discesserint, Sectarios haberi debere. Cum itaq; maximi re-  
ferat, ut quibus in Ecclesia Scripturae explicanda munus incumbit,  
doctrina nouitas, quantum cum vetustate pugnet, ostendant; tum abs  
re non facere me existimo, quando hareticorum commentariorum nu-  
per editos libros cum Orthodoxis conferre soleo, ne vel sub verbi diuini  
prætextu, vel sub Apostolica disciplina ficta expositione, in fidelium  
manus veniant, omnesq; simul animaduertant, quàm diuersum huius  
temporis haretici doceant ab his, quae Patres iam dudum tradiderunt.



EPISTOLA DEDICATORIA.

Quare (quod mea professionis est) cum praterito Autumno, eius generis in eam epistolam, quam publice praelegere coeperam, commentarium incidissem, notare non modò breuiter volui, quae ad veritatis Apostolica defensionem pertinere existimabam, sed & meam hanc animaduersionem disputandam volui proponere, ut sana doctrina Doctoribus meam operam & studium probarem, & Theologia Studiofis hac ratione, constaret, quanti referat, quos quisq; sacrarum literarum manibus terere debeat interpretes. Cum porro prateritis diebus I. D. U. coram in suo Hanboniensi Tusculano adessem, ubi tantam diuersi generis optimorum librorum supellectile incomparabili sumptu, ex diuersis locis comportatam parat, quantam & ad Orthodoxa doctrina puritatem defendendam, & ad nobilium scientiarum, literarumq; praestantiam tuendam probandamq; sufficere existimo, mihi in mentem venit, hanc à me eandem siue animaduersionem, siue disputationem eidem I. D. U. dicari debere. Cum enim ij maximè sint colendi, qui optimas artes & disciplinas suis opibus liberaliter iuuant et promouent, tum I. D. T. plurima deberi à literatis hominibus puto, quae eruditis ingeniis hunc amplissima bibliotheca thesaurum, perpetuum scilicet & virtutis & doctrinae sua monumentum parat. A me verò quantum expectare debeat D. T. facile sentio, quem totos viginti annos maximis & gratissimis studiis prosequitur. Ut enim D. T. I. ingenio est liberali, ita & docto & erudito, ac proinde fit, ut & facile & libenter eos communium olim suorum studiorum socios complectatur, qui publicis iam studiis operam suam nauant. Vehementer itaque ab I. D. U. peto, ut hoc quicquid est, memoris animi indicium equi consultum velit. Vale mi Domine, & tuum STEVARTIVM ama. Ingolstadij ad S. MAVRICIVM. Ipso Annunciatae Virginis, M. D. XCIII.

J. D. U.

dd.

Petrus Steuartius.





# ARGUMENTVM IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

**P**AVLVS ROMA E carceri mancipatus, postquam Anno Christi  
audisset Ephesios, (ab urbe Epheso Ionia in Asia LIX. conuer-  
minore metropoli sic dictos) Sectariorum fraudi- tionis suæ 24.  
bus, in diuersa studia concitari, hanc ad eos episto-  
lam per Tychicum Diaconum dedit. Quâ dum ab iis vehemen-  
ter petit, ut elusis Nouatorum falsis opinionibus, in accepta ve-  
ra fidei religione constantes manere velint, potissima Christia-  
nismi dogmata subtiliter atq; ideo subobscurè exponit. Eandem  
porrò veritatis doctrinã, Christiana q; disciplina & economiam  
repetens, quam toto triennio, maximo cum fructu, licet nõ sine  
suo periculo, viua voce docuerat, Euangelij maiestatem, Chri-  
sti beneficia, & muneris sui Apostolici dignitatem magnificè Ignat. epist. 24.  
extollit, monens ut quã corde credunt, ore q; fidem profitentur,  
vita innocentia morumq; probitate exprimant. Quod ab ipsis  
summa fide & obedientia fuisse præstitum, testis est D. Ignatius.

## CAPVT PRIMVM.

**P**AULVS Apostolus IESV CHRISTI, &c. Benedictus  
DEVS & Pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui  
benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus  
in CHRISTO.

**Q**UIA PAVLVS eodem ferè semper exordij ge- I.  
nere vtitur, quod est alibi sæpè à nobis explica-  
tum, ideo ipsius epistolæ argumentum statim  
A 3 aggre-



aggredimur. Cùm Deus infinitæ sit voluntatis, eo ipso quòd cuiquam benedixerit, dicitur etiam benefacere, ipsumque donis siue naturalibus, siue supernaturalibus cumulativè prosequi, quia nihil ab ipso dici potest, ut fiat, quin statim id ipsum effectui mandetur: <sup>a</sup> ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Hinc est, quod Apostolus, eadem vsus benedicendi voce, (quæ creaturæ accommodata, iam <sup>b</sup> laudare, iam agere gratias significat) laudes debitas persolvat, quod & Iudæos & Gentes communibus beneficiis, non terrenis, quæ veteris legis propria fuerunt, sed spiritualibus, quibus æternæ vitæ consequendæ hominum spes maximè erigitur, cumulârit. Hæc enim spiritualis benedictio inter cætera tum peccatorum remissionem, tum iustitiæ donationem, tum adoptionem in filios Dei & consortium naturæ diuinæ complectitur, quæ maxima dona per Christum à Deo, hominum generi conferuntur, quia, inquit Augustinus, per solum Christum habemus hanc gratiam, ut ad Deum accedamus, & à Deo non recedamus.

<sup>a</sup> Psal. 148.  
Psal. 113.  
Exodi 18.

<sup>b</sup> Luc. 2. Gen. 6.  
Psal. 102.  
Et 103.

August. lib. de  
persecut. bon.  
cap. 7.

*Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate.*

2. Quemadmodum Deus nos per Christum maximis donis prosequitur: ita nos eosdem gratis per eundem, pro sua in nos dilectione antequam initium fundamenti orbis iaceret, elegit. Quæ Pauli sententiâ, <sup>a</sup> & primam iustitiam, & in illa perseverantiam, dono gratiæ diuinæ non solius arbitrij viribus esse tribuendam conficitur, ut volebat Pelagius. Sicut & in hunc locum concludit Augustinus, non quia eramus, sed ut essemus sancti. Idcirco quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans,

<sup>a</sup> Aug. in hunc  
locum lib. de  
prædest. Sancti.  
cap. 18. lib. de  
bon. persec. lib.  
de gratia & li-  
bero arbit. de  
corrupt. & gra-  
tia epist. 105. Et  
106.



stinans, vt tales per eius gratiam essemus, inculpati scilicet & irreprehensibiles. *In eius conspectu*, id est, non modò coram hominibus, qui de facie iudicant, sed coram Deo, qui cor<sup>b</sup> intuetur: & hoc vt ipsum aliquando coram intuiti, sempiternam beatitatem possideamus; Est enim visio, Augustino teste, tota merces. Viderit proinde Rollocus, an Papistas (vt loqui solet) non fuerit calumniatus, quando ex operibus legis iustitiam ab ipsis quæri nimium liberè obganniit. Ipse potius hoc loco, cæcutiens attendat, ne confidentius de sua sanctitate sibi blandiatur, cùm se ex electorum numero securius esse iactitet, cuius in se ipso quasi periculum ex effectis facere audeat: cùm Paulo se non audeat sanctiorem profiteri, qui nullius mali conscius, sibi tamen semper timens, ideò se esse iustum non audebat affirmare: non quod propterea desperaret, sed quod suam salutem cum tremore & timore, quemlibet docere volebat operari, quia legerat, neminem de peccati sui propiciatu, debere esse sine metu.

b 1. Reg. 16.

c 1. Cor. 4.  
Philip. 2.  
Eccles. 5.

*Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per IESUM CHRISTUM in ipsum, secundum propositum voluntatis sue.*

3. Decretum, quo Deus homines quosdam ab æterno ordinavit in se ipsum, id est, in veram beatitudinem supernaturalem, per media diuini ordinis consequendam, <sup>a</sup> vt cum se ipso vnum efficiantur, prædestinatio a Rom. 8. dicitur. Cuius decreti causa est sola Dei vltro misentis voluntas, non aliqua necessitas, non præuisa hominum fides aut opera, sicut falsò Orthodoxos fingit Rollocus sentire: adeò vt finis vltimi cōsecutio & media particularia, quibus vnusquisq; prædestinatus supra naturam, beati-



b Rom. 8.

beatitudinem adipiscitur, ipsius prædestinationis sint effectus, quemadmodum in ea, quæ est ad <sup>b</sup> Romanos, expressit idem Apostolus: *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & iustificavit, &c.* quibus verbis apertè complectitur Apostolus omnia media, quibus adultus quispiam prædestinatus beatitudinem consequitur: sicut enim aliena virtute sagitta transmittitur ad scopum, quem ipsa non posset aliqua virtute sua naturali attingere: ita solius Dei hominem diligentis voluntate, ad vltimum finem & simul ad media quibus eum consequatur, à Deo destinatur homo, sicut capite secundo ostendemus, vbi sanctorum prædestinationem nihil aliud esse, quàm præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, quibus liberentur, quicunque liberantur, ostendemus. Et quia hoc modo prædestinatos suo tempore, adoptionis filiorum Dei iure donari contingit, id per Christum fieri necesse est: nam sicut ignis naturam nihil participat, nisi per id, quod naturâ sua est ignis: ita diuinæ adoptionis priuilegio gaudere nemo potest, nisi per eum, qui naturâ sit filius Dei. Videte qualem charitatem nobis dedit Deus, inquit D. Ioannes, vt filij Dei nominemur & simus. Deus ergo est, qui sua voluntate proposuit saluare, Deus est, qui in adoptionem filiorum prædestinavit, Deus est, qui glorificat & gratificat nos: Sed hæc in dilecto filio suo executus est, in eius sanguine nos liberauit, nos redemit; suam veritatem & viam ad se perueniendi omnibus aperuit. Atq; hic est aduentus Christi scopus, nempe patris sui vt voluntatem faciendo, homines ad Dei cognitionem doctrina & miraculis traheret, & vt reliqua omnia ad salutem pertinentia exhiberet.

Galat. 4.  
Rom. 8.Philip. 3.  
1. Ioan. 3.  
cap.



*In laudem glorie gratie sue, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo.*

4. Quæ à Deo fiunt, hanc naturæ præcellentiam habent, vt commendare suum authorem desiderent, vt sicut ab illo fluunt, ita & in illum tendant, illumque suo modo appetant, ipsiusque gloriam & manifestare & illustrare percupiant. Propterea prædestinationis hunc expressit Apostolus scopum, vt homines scilicet cognoscant, quantum Dei gloria sit prædicanda propter gloriosam gratiam suam, secundum quam filij sui merito, nos erga se gratos reddit: omnia siquidem propter seipsum operatur Dominus, non quòd glorificationis nostræ indigeat, sed vt suas creaturas nobilitet, quod earum maxima gloria in hoc consistat, vt ex natura sua, & ex voluntate & relatione diuina in Deum & in ipsius gloriam ordinentur. Sicut est apud Esaiam, omnem, qui inuocat nomen meum in gloriam meam creauit eum, formauit eum & feci eum. *Prouerb. 16. psal. 15. Esai. 43.*

*In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratie eius, quæ superabundauit.*

5. Quod sanguinis Christi soluto precio, siue redempti, siue peccatorum consecuti remissionem, siue à dæmonis seruitute liberati sumus, non nostris meritis aut operibus, sed copiosè gratiæ & misericordiæ diuinæ, dicit Paulus, acceptum esse ferendū. Quando enim æquitas habita ratione, amplius pedit patri Christus quàm homo debuerat, atque ita naturæ humanæ honori consulens, hominum obrutibus obiecit, quod Deus ab æterno, de nobis facere decreuisset (in quo peruestigando potissima hominum sapientia est constituta) facile cui-



Titum 3.  
 Nō ex operibus  
 iustitia, qua fa-  
 cimus nos.  
 1. Pet. 1.  
 Apocal. 5.  
 Ioan. 1.  
 Luc. 5. 17.

Ioan. 3.  
 Luc. 13.  
 Ioan. 6.

uis insinuauit infirmiores hominum fuisse vires, quàm  
 vt cœlesti patri pro suis delictis, facere possent satis. Fa-  
 temur itaque, Rolloce, Christi mediatoris merito non  
 nostris operibus, Deum peccata nostra non puniisse, sed  
 hoc Christi meritum nobis non applicari asserimus, nisi  
 etiam mens nostra aliqua vel charitatis, vel pœnitentię,  
 vel timoris, vel saltem suscepti Sacramenti, actione me-  
 diante, in Deum conuertatur, cùm Christus alia condi-  
 tione à suo patre non obtinuerit, vt in suam gratiam,  
 quâ homini peccata remittuntur, admittat, nisi aliquo  
 harum vel similium actionum medio interueniente, si-  
 cut passim Scriptura testatur, quæ iam Baptismum su-  
 scipientem saluum, iam pœnitentem remissionem con-  
 sequi peccatorum, iam Sacramentum corporis & san-  
 guinis Christi sumentem æternum viuere, &c. pronun-  
 ciat.

*Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt  
 in ipso.*

a Matth. 11.

Col. 1.  
 Gal. 4.

August. in En-  
 chir. cap. 62.

b Amos 9.

6. Mysterij incarnationis finis, qui eò quòd à sola Dei  
 voluntate dependebat (salus enim hominum Dei vo-  
 luntas est, quia saluare voluit, Dei opus est, quia salutem  
 effecit) fuit à sæculis & generationibus<sup>a</sup> absconditus,  
 nūc verò sanctis Apostolis reuelatus, hic est, quod Deus  
 Pater voluerit reuocare ad vnum caput, nempe Chri-  
 stum, homines & Angelos, qui per peccatum erant diui-  
 si: in Christo siquidem instaurantur, inquit Augustinus,  
 quæ in cœlis sunt, cùm id, quod inde in Angelis lapsum  
 est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem, quæ in  
 terris sunt, cùm ipsi homines, qui prædestinati sunt ad  
 æternam vitam, à corruptionis vetustate liberantur, si-  
 cut est apud Prophetam:<sup>b</sup> Suscitabo tabernaculum Da-  
 uid,



uid, quod cecidit, & reedificabo aperturas murorum eius, & ea, quæ corruerant, instaurabo. Atque Rolloce, sapientia nostra hæc est, Christum & hunc crucifixum, non solis, vt falsò nobis exprobas, arbitrij nostri viribus, sed fidei præfidiis quàm optimè cognoscere, vt eius redemptionis participes effecti, Angelorum esse conciuēs possimus. Frustrà proinde nobis opus operatum obii-  
1. Cor. 2:  
Hebr. 11. Accedentē ad Deum credere oportet.  
1. Cor. 14. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes uiuificentur.

cis, quasi sine fide & absque vera cum Christo vnitione cuiquam salutem promittamus. Nam eo ipso, quòd hoc fingis, significas à te non intelligi, quid Patres velint, quando infantibus, qui actū credere non possunt, virtute Baptismi salutem pollicentur, quando Sacramentis eam inesse vim statuunt, vt gratiam iis fidelibus, qui ita, vt debebant, dispositi non sunt, existimant conferre.

7. Neque Christi cognitione sola, vt arbitraris, contenti sumus, qui longè amplius quàm vos operibus ex fide, gratia & libero arbitrio profectis, tribuimus, vt qui meritis Christi, bonos etiam animi motus, & quod in potestate hominis est, accedere oportere confiteamur, quod ipsum hîc tandem videris & tu nobiscum vehementer commendare. Quod verò cœlestium rerum, imò diuinæ legis contemplationem damnas, miror; tum quod in capite libri Psalmorum beati prædicentur, qui in lege Domini noctes & dies meditatur: tum quod non te fugiat, Marthæ sollicitudinem ita fuisse laudatam, vt partem Marię nescias fuisse potiore. Quod verò spinosas Papisticorum Theologorum de fidei doctrina quæstiones contemnis, haud miror: illæ enim sunt, quæ tui ordinis hæreticos fraudulentis calliditatibus ne fides in nobis aliqua ex parte violari possit, pia cautaque vigilantia prouident. Nam cùm omnes ferè



August. lib. de  
fide & Symbo-  
lo cap. 1.

hæreticorum errores circa fidei doctrinas promanent ex ignorantia rei alicuius, de qua fides aliquid affirmat vel negat, tùm quæstiones non modò vtilis, sed & necessarię sunt, quę de fidei doctrina ita subtiliter tractant, ita vt adminiculo naturalium scientiarum partim definiendo ex effectibus, partim diuidendo & argumentando, doceat, ea de quibus fides aliquid asserit, vel negat.

*In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suę, vt simus in laudem gloria eius.*

2 Col. 1.  
Psal. 130.

Rom. 8.  
August. lib. de  
bon. persever.  
cap. 7.

b Psal. 113.

*Vt ostenderet  
diuitias gloria  
suę in & misericordiam,  
quã preparauit in  
gloria. Rom. 9.*

8. Suo exemplo probat esse verum, Dei in nobis abundasse gratiam, Christumque omnia instaurasse. Quod ne hominum meritis ascribat, <sup>a</sup> sorte se vocatum affirmat. Sors enim cùm nihil aliud sit, quàm rerum, quę ex voluntate diuina fiunt, inquisitio, gratia porrò ex Dei duntaxat voluntate dependeat (neque enim ratio disquiritur, cur hic potius, quàm alius eligatur, elegit enim quos voluit) inde est, quòd gratia diuinę electionis sors vocetur, quia Deus per modum sortis secundum occultam prouidentiam, non ex alicuius meritis per gratiam internam vocat. Vnde subiungit: Secundum propositum eius, qui operatur, vt electionis causam esse Dei meram voluntatem confirmet. Quęcunq; enim à Deo fiunt, non temerè, sed ex sua ipsius <sup>b</sup> ratione atque ad eò ex voluntatis suę proposito proficiscuntur: ita vt quidquid Deus tandè efficit, probare possit esse conueniens, esse bonum, esse naturę & rationi consonum: & hoc vt electi sint argumentum & occasio laudandi Dei de sua conuersione, atque hac ratione, cœlestis patris gloria sumat ex iis, qui Christum agnoscunt, incrementum.

9. Dei



9. DEI siquidem laus & gloria maximè extenduntur, quando multi ad ipsum accesserint, inquit Ambrosius, sicut Medici gloria crescit, cum multos sanauerit & curauerit: Qui enim se in Christo esse sentiunt, & non secundum carnem ambulant, Dei gratiam amplificant, eius liberalitatem extollunt, &c. Nihil tamen proficit hoc Pauli exemplo Rollocus, volēs probare salutis cuiusq; credentis certitudinem, quia, ut ipsemet colligit, Paulus, qui spiritus primitias acceperat, simul etiam salutis suæ consequendæ fiducia videbatur certiore fulciri: alij verò, ut diuina promissio in ipsis impleatur, qua Deus ipsis pollicetur gratiam propter Christum, necesse est, ut gratiæ cooperentur, quemadmodum alibi se facere testatur Paulus: nemo autem citra reuelationem certò nouit, an ut oportebat, gratiæ Dei, quod suarum est partium, etiam adiunxerit. Vnde licet probabili Spiritus sancti testimonio quispiam consequi possit, se esse in gratia, se esse sanctum, &c. inde tamen non conficiet, eundem esse certò ex electorum numero, partim quòd is numerus Deo soli sit cognitus, partim quòd multi gratiæ diuinæ dono sint aliquando ornati, qui tamen damnabuntur: quia licet ad tempus vocationi tales respondeant, quia tamen in gratia vsque ad finem non perseuerant, communis cuiusdam prouidentia diuinæ, non prædestinationis effecta dicuntur consecuti. Quare licet credendum sit, peccatorum remissionem & gratiam credentibus, qui, quod suum est, faciunt, contingere: nemo tamen certò sibi persuadere potest, se ita, ut decet, officio suo esse functum: non quòd omnem de salute sua consolationem velimus sublatam (qui enim Spiritu Dei aguntur, non ita difficulter se Dei filios esse

a Esai. 55.

Eccles. 2.

Psal. 18,



experiuntur) sed citra reuelationem de propiciato peccato neminem esse debere sine metu, hortamur, cum delicta non omnes intelligant; sed potius cum Apostolorum Principe monemus, vt bonis operibus vnusquisque satagat certā facere vocationem suam, diuinamq; iram dignis pœnitentiæ fructibus (quos nugas & commenta vocat nescio, qua temeritate Rollocus) placare studeat.

*2. Pet. 1.*

*Luc. 3.*

*In quo & vos, cum audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestrae, in quo & credentes signati estis.*

10. Beneficiis, quæ per Christum contigerunt, commemoratis; ea nunc singulariter enumerantur, quibus Ephesij fuerunt cumulati: Ac ordine primùm diuini verbi prædicationem recenset: Nam cum fides audita<sup>a</sup> concipiatur, nemo verò possit audire, nisi qui prædicet, coram adsit, prædicare porrò nemini liceat, nisi qui fuerit ad hoc legitimè<sup>b</sup> destinatus, tum Christi beneficio concludit, Ephesios audiendo credidisse, cuius gratia fuissent prædicatores adepti. Veritatem porrò verbum illud auditum vocat, quòd eius auctor sit Christus, quod quia virtus est<sup>c</sup> in salutem omni credenti, sempiterna scilicet bona promittēs, iam verbum salutis,<sup>d</sup> iam Euangelium nuncupatur: nō quòd vbi Euangelij historia auditur, subito (vt vult Rollocus) in omnium animis resipiscencia & fides generetur, cum Iudæi sua malitia excæcati, Christi concionantis verba audientes<sup>e</sup> nō crediderint: sed eos demùm, qui sunt ex Deo nati, in quibus Dei semen manet, eiusque Spiritu aguntur, tum propter fidem doctrinæ, tum propter mandatorum Dei obedientiam, perfectè dicimus audire. Vnde subiungit:

*a Rom. 10.*

*b Hebr. 7.*

*Ioan. 17. Sermo  
vultus Veritas  
est.*

*c Roman. 1.*

*Iacob. 1.*

*d Esai. 41. 52.*

*1. Cor. 15.*

*Ioan. 12.*

*Rom. 10.*

*e Ioann. 1.*

*1. Ioan. 3.*

*Rom. 8.*

*Luc. 11.*

*In quo*



In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto,  
qui est pignus hereditatis nostræ.

II. Qui enim hoc modo <sup>a</sup> credunt, aliquo signo experiuntur, vitæ melioris consuetudine, ad Dei se populum pertinere, quando diaboli <sup>b</sup> carnisque illecebris gnauiter elusis, diuinæ morem gesserint, magna cum suauitate, voluntati: Deus enim vt suos agnosceret ac notabiles redderet, Spiritu sancto obsignauit, quando velut sigillum diuinæ adoptionis Spiritus <sup>c</sup> sancti gratiam illis infudit, quæ quidem gratia, est arrabo futuræ hereditatis, quæ est vita æterna, Spiritus enim sancti instinctu, facile percipitur aliquid illius dulcedinis, quã beati sunt habituri, quando scilicet in hac vita gustare incipiunt, quàm suavis sit <sup>d</sup> Dominus, quãuè dulce sit illud mandatum, quod vincentibus mundum & carnem, est præparatum & propositum: Nam <sup>e</sup> charitas, quam dedit Deus per Spiritum sanctum, imperfecta est participatio diuinæ charitatis, quæ in patria perficietur. Atque Christianos ita constitutos, acquisitionis nomine expressit hîc Apostolus, quasi <sup>f</sup> Christus, vt hos ita affectos possideret, non modò plurimum desudârit, sed & sanguinem suum profuderit, vt inde Dei Patris gloria <sup>g</sup> latissimè extenderetur. His ita constitutis videat Rollocus, num contrà, manifestam Christi meritis iniuriam irroget, Christi gratia acquisitos peccati iugo fingens esse obnoxios, quasi peccati sint adhuc in ipsis iustis reliquæ, nihil moratus, quòd his, qui sunt in Christo <sup>h</sup> Iesu, nihil sit damnationis: sed ea est Sectariorum pertinacia, vt se pati nolint, doceri fomité siue procliuitatem, quæ in iustis ad <sup>i</sup> peccandû manet, peccati labè non habere, licet i ad peccatum sæpè, sine tamen culpa, imò frequentissimè

<sup>a</sup> Infrà cap. 2.

<sup>b</sup> Galat. 6.

<sup>c</sup> Rom. 8. 5.  
Ezech. 37.

<sup>d</sup> Psalm. 30.

<sup>e</sup> Rom. 5.

<sup>f</sup> 1. Pet. 1.

<sup>g</sup> Esai. 43.

<sup>h</sup> Rom. 8.

<sup>i</sup> Genes. 6.



2. Cor. 12.

mè cum meritò etiam sanctissimos homines incitet & impellat, sicut ex stimulo carnis, qui Paulo molestiam non sine fructu afferebat, colligitur.

*Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Christo Iesu, & dilectionem in omnes Sanctos, non cesso gratias agere pro vobis.*

<sup>a</sup> *Infrà cap. 3.  
Act. 15.  
Rom. 3.*

<sup>b</sup> *Ioann. 13. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilexeritis.*

<sup>c</sup> *Ioann. 20.  
Hebr. 1.  
d Roman. 1.  
Coloss. 1.*

<sup>e</sup> *Hierem. 9.  
1. Petr. 1.  
1. Cor. 2.*

<sup>a</sup> *Roman. 8.  
Apocal. 1.*

12. Cùm fidei munere, charitatisq; dono nihil in vita, vel melius, vel maius possit contingere, <sup>a</sup> quod per hanc Deus hominẽ inhabitet, eius cor purificet, & eundem sine lege iustum pronunciet, hac verò, ceu indicio certissimo probetur quispiam verus esse Christi discipulus, tum Ephesiiis gratulatur Apostolus, <sup>b</sup> quod eos cœlestibus harum benedictionum opibus, sua gratia sit ita profecutus Deus, vt Sectariorum artibus & impiis studiis, à vero suo sensu & constantia non potuerint dimoueri: nec hac gratulatione cõtentus, vehemẽter etiam à glorioso Deo, <sup>c</sup> qui Christi vt hominis, est Deus, & vt Dei Pater, <sup>d</sup> petit ipsis, tum vt scientiæ, tum vt sapientiæ etiam Spiritum elargiatur, vt in cœpto virtutis & religionis tramite progressi, non tam falsis rerum interiturarum imaginibus intendant, quàm arcana illa cœlestia, æternam scilicet beatitudinem, quæ humanæ rationis <sup>e</sup> obtutus fugiunt, intueri possint & cognoscere.

*Qui credidimus secundum operationem potētia virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis.*

13. Sicut effecta, participatio sunt quædam causarum suarum exemplarium, sic tota nostra nō modò iustitia, sed & corporis & animæ gloria, participatio quædam sunt iustitiæ & gloriæ Christi. Quos enim præsciuit Deus, <sup>a</sup> prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Ad eò vt secundum



cundum humanitatem, omnis creature primogenitum  
vocare eum possimus, qui de eius plenitudine <sup>b Ioan. 1.</sup> accepi-  
mus. Sicut igitur nostrae iustificationis, quae adoptio  
quaedam est in Dei filios, causa exemplaris est Christus:  
ita resurrectionis & gloriae etiam forma is ipse erit. Si e-  
nim <sup>c Rom. 8.</sup> complantati facti sumus similitudini mortis eius,  
simul & resurrectionis erimus. Deus enim homines &  
iustificando & glorificando, filium suum velut proto-  
typum operationum suarum spectat, cui assimilare ipsos  
intendit, quod facit.

14. Atque id est, quod Apostolus hoc loco, signifi-  
cat, quando dicit eandem potentiam, quam Deus exer-  
cuit, cum à tenebris infidelitatis, vitaeque praeteritae ve-  
tustate ad fidem & iustitiam Christianam Ephesios con-  
uertit, non inferiorem ea potentia & virtute fuisse, quam  
exercuit in Christo à mortuis suscitando, ei que donan-  
do honoris aequalitatem, regni <sup>a Philip. 3.</sup> consortium & potesta-  
tem, qua constitutus est super omnes creaturas, non so-  
lum quae in terra sunt & apud inferos; sed etiam quae in  
caelis possunt vel nominari vel comprehendi, adeo ut  
nihil sit, quod Christi humanitati non sit subiectum, si-  
cut subiungit <sup>b Hebr. 2.</sup> Patrem Christi pedibus omnia subiecisse. <sup>1. Cor. 11.</sup>  
Quemadmodum verò Patre filium suscitante, Christus  
ut Deus seipsum etiam suscitavit: ita Deus nemini iusti-  
tiam confert, qui iustitiae suae non fuerit cooperatus, iuxta  
tritum illud <sup>c August. ser.</sup> Augustini: Qui creavit te sine te, non iu-  
stificabit te sine te. Hinc & ipse Paulus: Si Spiritus eius, <sup>15. de verbis A-</sup>  
qui suscitavit Iesum à mortuis, habitat in nobis, qui su- <sup>postoli.</sup>  
scitavit Iesum à mortuis, vivificabit corpora nostra. <sup>Rom. 8.</sup>

*Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus  
ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.*

C

15. Cùm



15. Cùm modis omnibus conetur Apostolus, & cognitionem, & ynitatem nostram ad Christum, ostendere, fit euidens capitis vocem primariò secūdum Pauli intentionem nō esse vel principatus, vel auctoritatis, sed eā vt Paulum, vt quemadmodum naturale caput in membra: ita mysticum in corpus tam militantis, quàm triumphantis Ecclesiæ per gratiā probet influere. Quēadmodum enim caput cæteris membris cōforme cūm ipsis præsidet, tūm vires operationibus accommodatas suppeditat: ita Christus vt homo & Angelis<sup>a</sup> & hominibus præest, & virtutes ac dona spiritualia elargiens, eiusdem cum cæteris hominibus est naturæ particeps, licet quoad hoc nihil cum Angelis habeat commune, nō enim Angelos, sed Abrahæ semen apprehendit. Quæ res hominis dignitatem maximè amplificat. Vnde adiunxit, quod sicut caput membra, sic mēbra caput perficiunt: non enim perfectum est corpus, nisi vbi hæc sibi vnita inueniuntur. Nisi enim essemus, hic quidem pes ipsius, iste autem manus, ille verò aliud quoddā membrum, non compleretur corpus.

<sup>a</sup> 1. Cor. 2.  
Coloss. 2.  
Qui est caput  
omnis princi-  
patus.

Hebr. 2.

## CAPVT SECVNDVM.

*Et vos cūm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundūm seculum mundi huius.*

16.

**V**T Ephesij grata animi memoria, per Christum parta beneficia assiduè recolerent, vitæ spiritualis nostræ Christum à mortuis suscitatum exemplar fuisse ostendit, significans Deum eadem virtute hominem à peccati, qua Christum à corporis morte suscitando, esse usum. Sicut enim animæ à corpore<sup>a</sup> dissolutionem

<sup>a</sup> Osea 6.  
Coloss. 3.



lutionem sequitur naturæ mors: ita animæ à Deo, qui est eius <sup>b</sup> vita, per peccatum separationem æternus se- <sup>b Ioan. 14.</sup> quitur interitus. Hinc est, quod mors peccatorum dicitur alibi pessima. Et quemadmodum diuina vi, Christi <sup>c</sup> corpori de integro vnita anima vitā attulit: ita peccati morte, peccato scilicet sublato, amissam vitam homo per gratiam recuperat. Fatemur itaque cum Rolloco, mortalis peccati admissione, hominem non modò ægrotantem, sed & penitus mortuum nulla opera, quæ vel ad salutem valeant, vel æternam beatitudinem mereantur, vel etiam ad gratiam proximè disponant, sine Dei gratia, præstare posse. Vbi enim, inquit Augustinus, non est dilectio <sup>d</sup> charitatis, nullum bonum opus reputatur, neque rectè bonū opus iteratur. Item si bona <sup>e</sup> in vsu pauperum distribuero, &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, inquit Paulus. At liberum voluntatis motum sibi relictum, ita debilitatum esse, vt nullum opus bonum, morale saltem, vt dare, v. g. elemosynam, salutare proximum, &c. operari nequeat, paulò post fusius infra refutabimus, quando reddemus rationem, cur Patres, qui omnem considerationem ad finem supernaturalem dirigunt, pro nihilo reputant opera moraliter duntaxat à peccatore facta; licet non sint peccata, sed ex se bona.

<sup>d</sup> August. lib. de gratia Christi contra Peccat. cap. 26.  
<sup>e</sup> 1. Cor. 13.

*In quibus ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius Spiritus.*

17. Ephesii sicut & Iudæis non solam corruptæ naturæ ad malum propensionem, sed & prauam <sup>a</sup> flagitiosorum hominum consuetudinē, & Cacodæmonis mille nocendi artes ad peccandum occasionem attulisse ostendit, Patris enim cœlestis charitas, quæ spiritualis <sup>a Philip. 3.</sup> *Multi enim ambulat quos sape.* <sup>Hierem. 2.</sup> vitæ



1. Ioann. 2. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.

Sap. 1.

b Ioann. 12. 14. Vocatur diabolus princeps huius mundi.

1. Petr. 5.

a Tob. 21.

Tit. 3.

Rom. 8. 6.

2. Petr. 2.

vitæ causa est, in eo manere non potest, cui lubrici mundi illecebræ & carnis lenocinia placuerint, vnde vt ea homines cane peius & angue fugiant, sæpè Scriptura cohortatur, quia eiusmodi vitiis carnisque cupiditatibus deditis dominatur princeps ille, cui<sup>b</sup> potestas est in hac aëris caligine, vbi ad nos fallēdos, nescio quæ aërea corpora effingit, quibus ceu retibus incautos illaqueat, qui se ei peccando subiecerint, sic enim irretitos tenet, vt quo voluerit nequitia & impietatis, ceu iumenta exagitet & impellat, nunc enim suauius lubricæ carnis delitiis obiectis blanditur; nunc diuersarum cogitationum instinctibus mentem concitat, vt non corporis modo, sed & animi viribus homo debilitatus, omnem tandem salutis spem abiiciat. Atque hoc est, quod subiungit:

*Qui nunc operatur in filios diffidentia, in quibus & nos omnes aliquando conuersari sumus in desideriis carnis nostra.*

18. Non modò impij, qui Deo dixerūt, <sup>a</sup> recede à nobis, viam sciētiarum tuarum nolumus, vt qui ad foelicitatem non per Christum, Christi que meram doctrinam aspirāt, sed & omnis generis flagitiis malitiosè sunt immerfi, dicuntur filij diffidentia, quia sicut filij sunt in patris nutu: ita illi in dæmonis potestate. Licet enim libere in peccati cœno volentur, nullam tamen habet eorum peccandi consuetudo rationem, cur eripi debeant ex dæmonis manu, quemadmodum ij, qui vel ex infirmitate, vel ex ignorantia deliquerunt, quibus adhuc emendationis spes affulget. Hinc infrà monet omnes Paulus, ne se patiantur inanibus verbis seduci, ne in ipsos ceu diffidentia filios ira diuina desæuiat, quod veritatis hostibus, & ex malitia, exuta fronte, & verecundia,



dia, peccantibus, nihil sit, quod ad desperationem magis incitet.

*Et eramus naturâ filij iræ, quemadmodum & ceteri.*

19. Creatus est, inquit Augustinus, primus homo in natura sine culpa, creatus est rectus, non se fecit rectum, *Eccles. 7.* quid autem fecerit notum est, cadens à manu figuli, fractus est. Huius, ut ita dicam, fracturæ siue corruptionis intuitu, totâ Adami progeniem communi lege ab ipso deriuatam, iræ siue vindictæ diuinæ ream nasci, asserit Paulus, propter originis labem, quam ex illa perdita massa contrahit. Vnde & natura nostra iam ægra, iam infirma, iam vulnerata dicitur, partim quod actiones vitæ æternæ dignas amisso iustitiæ originalis dono, exercere non possit, partim quod ad frequentes diuersi generis defectus sibi relicta, sit admodum procliuis.

20. Ineptè tamen hinc conficit Rollocus, hominem originalis iustitiæ fræno destitutum, hominis naturam potius exuturum, quàm desierit aliquo modo in Euangelij lucem peccare. Quasi verò Deus hominem naturalibus cognoscendi & appetendi duntaxat viribus præditum ad peccandum produxerit, cui naturæ lege, donum aliquod supernaturale non debuit, qui hominem ut natura præditum, sicut cætera, quæ fecit, diligat, nec *a Sap. 2.* ipsum omninò amore prosequi nõ possit, quin & actiones ab eius natura profectas, & in Deum ut naturæ authorem directas bonas esse, nec in Euangelij lucem delinquere, vel inde conuincitur, quod ad bonum quàm ad malū hominis natura sit seipsa propensior, quæ nullam per peccatum virium naturalium passa est iacturam: cum enim humanæ nature ad bonum rectæ rationi consentaneum, tametsi gratia & iustitia destituta incli-



natio, iustitiæ amissione extincta non sit, non erit minùs difficilè, imò facilius bona naturæ viribus breui saltem tempore, facere, quàm mala. Inde fit, quod sine bonis aliquibus operibus difficillimum esse vitam impij reperiri, dicat Augustinus.<sup>b</sup>

<sup>b</sup> Lib. de spir. Et liter. cap. 18. 28. lib. 3. Hypog. cap. 2.

Claudianus.

<sup>a</sup> Genes. 4.

<sup>b</sup> Ioan. 5.

Rom. 1.

21. Hominem itaq; sic constitutum non modò totam veritatis lucem amisisse, sed & in omni suo opere peccare, hæreticum est dogma, & mentem tanquam reginam cæteris animi facultatibus subinde præsidere non posse, Philosophorum optimè sentientium sententiæ repugnat, nisi Socrate sapientior Rollocus sapientem astris dominari non posse dicat, nec eum omnia iure tenere, Qui poterit Rex esse sui, &c. Quid quod Caino parricidæ dicat Deus: <sup>a</sup> Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quid quod Euangelij lumen aperuerit (id ridet Rollocus) Papistis, corruptorum morum prauitatem, fidei tenebras offundere? Iudæos enim ob ambitionem credere non potuisse<sup>b</sup> veritas ipsa testatur. Gloriam creatori debitam, creaturæ datam vitæ improbitati & turpitudini non obscure ascribit Apostolus. Detinent enim vitia intellectum in errore sibi conformi, & à contraria auertunt veritate: cum enim ad credendum necesse sit voluntatis pium affectum sibi vim intelligendi subiicere, vt ea credat, quorum non habet necessariam probationem, quando vitia & animi affectus iis repugnant, quæ sunt fidei, impediunt ad recipiendam fidem, & ad receptam deserendam impellunt.

*Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, &c. conuiuificauit nos Christo.*

22. Diuini erga hominem amoris indicium hoc est maximum, quod eius, licet serui, imò hostis causa filium suum



suum vnicum dederit, vt posset viuere, ob quam liberalitatem, spiritum (vt alibi scriptum est) <sup>a Ioan. 7.</sup> non ad mensuram hominibus dedisse dicitur, quibus ad sui similitudinem efficitis, & post lapsum sua misericordia reparatis, vt cœlestis patrimonij hæreditatem suo tempore, adiutus possit adire, summam potestatem fecit. Nec satis tantæ charitatis magnitudo potest explicari, vt cùm homines <sup>Ioan. 3.</sup> odio & pœnis acerbissimis essent digni, eos tamen dilexerit, & fugentes à se, iniecta quasi manu apprehenderit, quemadmodum <sup>b Rom. 5.</sup> Paulus alibi insinuat: Commendat, inquit, Deus charitatem suam in nobis, vt cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est: Amoris hominum ab amore Dei discriminẽ insinuans, quod homo bonum rei amatæ inueniat, quo illectus ipsum amat, Deus verò rei amabilis in re amata nullam prorsus rationem præuidens, ipsam amando bonam efficiat, sicut Augustinus in illa Pauli verba: *Dilectis à Deo, non diligentibus Deum* notauit, quia, inquit, dilecti sunt, ideo diligibiles fuerunt.

*Et cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati, & resuscitauit, & conscendere.*

23. Recordatione eius beneficiij, quo hominum genus affecit Christus, quando sanguinis sui profusione promeruit, vt vitæ spirituali antea in peccatis mortui restituerentur, vocationis nostræ spes maximè erigitur. Cùm, inquit Apostolus, carnis cupiditatibus obcæcati, quoad animum essemus mortui, filij sui amore pater effecit, vt nostra conuersatio esset in cœlis, ita vt vita, affectu & contemplatione ibi essemus, vbi est caput nostrum, vt quemadmodum iam spiritui nostro vitam sua gratia re- <sup>Rom. 8.</sup>stituit, nos resuscitauit, nos in cœlestibus sedere fecit, vt <sup>Ioan. 12.</sup>osten-



Apocal. 3.

ostenderet superabundanter diuitias gratiæ suæ in bonitate: ita nos ad Christi similitudinem resuscitaturus, & sedem daturus est in cœlestibus secundum corpus, ut ubi corpore & animo ipse est, illic & nos eiusdem ministri simus. Hanc vitam, spiritus habitantis in nobis, ceu causæ principalis functionem Rollocus esse ait, quæ non anima tantum; sed & animæ facultatibus ceu instrumentalibus causis & ministerio utatur, ipsum spiritum nauam, nauam animam, quæ nihil ex se agens, folius Spiritus impulsu feratur contra apertissimas Scripturas faciens: sicut quando Spiritus dicitur hominem in omnem deducere, non portare veritatem, quo loco hominem oportere<sup>a</sup> cooperari, & quod suum est, spontaneè facere, insinuatur, cum Spiritus sanctus neminem nostrum impellat, nisi ex nostra parte opus nostrum accedat, sic Spiritum pro nobis interpellare, interpretantur Patres, quia modum interpellandi non tantum docet, sed & ad interpellandum obedientem dirigit, & Apostoli, sic visum esse Spiritui sancto, & nobis dicunt, & de Deo, Deduxisti populū tuum in manu Moyfi & Aaron, qui sanè volentes non coactos ducebant Israëlitas in promissionis terram.

<sup>a</sup> Ioan. 14.

Rom. 8.

Actor. 15.

Psal. 76.

*Gratiã enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur.*

Rom. 3.

1. Cor. 15.

Esai. 60.

Rom. 8.

Luc. 8.

24. Non solum beatos, qui salutis portum periculi vacuum sunt affecuti, sed & eos, qui iustitiam in hac mortali vita apprehenderunt, saluos Apostolus Romanis scribens, factos dicit. Eam porro salutem, quæ peccatorum remissionem, iustitiæque donum complectitur, sine fidei presidio consequi nemo potest. Non quod fidei merito, iustitiam siue peccatorum remissionem dari



dari Patres Orthodoxi asserant, vt ipsis imponit Rollocus ( hoc enim docuerunt Pelagiani, dicentes, fidem in nobis effici nostris viribus, audito Euangelio, & per eam nos mereri diuinam iustitiam ) sed Dei iustitiam hic & alibi peccatoribus credentibus propter misericordiam in Christo promissam, dari dicit Paulus: ita, vt fides intelligatur tantum dispositio, per quam mens coelitus attracta sufficienter ex Dei bonitate habetur disposita, præparata, & tanquam apta, vt fiat ei applicatio meritorum Christi, & ex Christi meritis applicatis, accipiat remissionem peccatorum, iustitiam & gratiam, quemadmodum insinuat Paulus, dum ait; iustificati ex fide Rom. 6. pacem habeamus: & hoc non ex nobis, Dei enim donum est, non ex operibus. Quæ si fidei lumine cognoscuntur, rationis humanæ obtutum excedunt ( quæ enim Dei sunt, nemo nouit, nisi spiritus Dei ) ideò non modò a Sap. 9. necessarium esse sapientiæ donum, sed & ab altissimis esse mittendum Spiritum sanctum, post Sapientem asserit b 1. Cor. 12. Paulus, qui diuinæ mentis sensum aperiat & explicet, Rom. 11. vt homines fidei beneficium non sibi, suisque viribus 1. Cor. 1. arrogent, sed Deo potius illud acceptum ferant.

25. Quare miror Rollocum sui adeò esse immemorem, vt quando Dei gratiam salutis nostræ causam facit, requirit à nobis fidei actum, hoc est, præstemus, quod nostrarum, inquit, est partium. Quasi in nostra solius sit potestate credere. Si enim diuinæ gratiæ intellectum illuminanti, credendo cooperamur, tum nos ipsos quoque liberum voluntatis motum elicere, & quod bonum est facere, & non solum à Spiritu sancto agi, sed ipsi etiam cooperari statuat necesse est, sicut D. Hieronymus, qui fidei actionem ab arbitrij facultate profectam, quod

D

ab



ab imperio voluntatis procedat, liberam esse euincit. Verum quidem est, Deum sicut initio hominem creauit, nulla eiusdem præcedentia merita, quibus creationis suæ bonum dici comparasse posset, respexit: ita post lapsum, nulla præcedere voluisse in homine opera, quibus ipse sibi recuperatam sanitatem adscriberet: atamen inde hominem suæ vocationi respondere non posse, aut diuino amoris non debere se accommodare, stultum est affirmare.

*Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu.*

26. Quia primæ creationis præsidio, nulla homini vis inest, quâ veram consequi beatitudinem possit, idè alterâ supra naturalem, opus fuit creaturâ quæ actiones etiam supernaturales eliceret consequendæ beatitudini idoneas, quibus ipsa iure debita, etiam responderet fœlicitas. In <sup>a</sup> Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura, quam Paulus hîc facturam nuncupat. Quæ acuratius considerata, nō pauca cum priore, siue naturali creatura, habet communia. Sicut enim omnium non modò actionum, sed & facultatum principium basisque est natura, quibus operationes sibi consonas elicit: ita gratiæ diuinæ donum, virium & actionum diuini ordinis est fundamentum, quo præditus homo, iam <sup>b</sup> regeneratus, iam nature diuinæ consors, iam noua creatura, hîc verò factura dicitur, quæ Deum clarè, suo tempore queat intueri, quando gloriæ lumine fuerit collustrata.

27. Hanc Dei gratiam sine medio, id est, sine iustitia Christi, qua ipse iustus est, interueniente, non effici, atque adè salutem non contingere, docet Rollocus. Qui si gratiæ naturam, Christi que iustitiam haberet perspectam,

<sup>a</sup> Galat. & l.

Greg. de Valentia Metemnesis lib. de diuina gratia.

<sup>b</sup> Ioan. 3.  
2. Pet. 1.  
Galat. & l.



Etiam, aliter sanè sentiret, vt qui gratiæ donum ob Christi merita hominis animæ diuinitùs reipsa infusum esse, quo iam anima Deo <sup>a</sup> grata, iam sana, iam iusta diuersarum actionum intuitu, dicitur, non modò non intelligat, sed & Christi iustitia homini imputata hominem nihil alioqui iustitiæ reipsa in se habentem, iustum nominari, nõ possit explicare. Quonã enim modò Deum hominem dici posse diligere defendet, cui nihil donet, eo ipso, quo ipsum de nouo diligit, quem antea paulò oderat, cum tamen Dei voluntas sit efficax? Quomodo charitate Dei in cordibus nostris diffusa, Spiritus sanctus nobis dicitur datus? si sola, eaquæ à nobis separatã Christi iustitiã, nihil nobis accedit, quo grati Deo, apti ad debita Deo obsequia præstanda dicamur? sanè quando Spiritus sanctus dari dicitur homini, bona spiritualia, quorum Spiritus sanctus auctor est, intelliguntur, quæ propter Christum infusa, hominis mentẽ ad actiones naturæ vires excedentes, vitæque æternæ meritorias egregiè dirigant, quemadmodum apertè Scriptura passim facit testatum. Quando enim regni cœlestis <sup>b</sup> possessione compensat Deus bona opera, non Christi tantum, sed hominis etiam iustitiam remunerat. Homines enim alloquens dicit: Possidete regnum, &c. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui, &c. Dicere potius debebat: Veni Christe, posside regnum, quia sitiui, & dedisti tibi potum, veni posside regnum, &c.

*In operibus bonis, quæ præparauit nobis Deus, vt in illis ambulemus: propter quod memores estote, quod*

28. Deus opera dicitur præparasse, quia ea ipsa sunt effecta prædestinationis, secundum quod ea præuisa Deus se daturum promisit. Vnde hac à nobis conditio-



<sup>a</sup> Aug. lib. de  
bon. persever.  
cap. 14 lib. de  
prædest. Sæctor.  
cap. 10.  
Fulgent. lib. 1.  
ad Moisi.  
<sup>b</sup> 1. Cor. 3, 15.

Joan. 12.

Infrà cap. 5.  
Vt filij lucis  
ambulate.

ne, ait preparata, vt ea nos ipsi per arbitrij voluntatem suo tempore diuinitus adiuti impleremus, non quod Deus bonis operibus hominum præuisis, adductus sit, ipsos vt prædestinaret (quem sensum Orthodoxis affingit Rollocus) sed quia ex adultis nullum <sup>a</sup> prædestinat, nisi cum respectu quodam suæ diuinæ præscientiæ ad cooperationem perseverantem ipsius prædestinati, vt est ex gratiæ auxilio, & libero arbitrio, tãquam ad vnum effectum, & medium prædestinationis. Dei <sup>b</sup> enim adiutores sumus, sicut de se testatur Paulus: Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum. Vnde & hic verbo **A M B V L E M V S** vsus est, partim vt Deo nos siue credendo, siue benè operãdo, cooperari testaretur, partim vt boni operis fructum, siue iustitiæ augmentum commendaret, quod secundam iustitiam appellatum etiam ridet impudenter Rollocus.

*Quoderatis in illo tempore sine tempore, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum, prom.*

Galat. 3.  
<sup>a</sup> Hierem. 2.  
Actor. 23.  
Qui in carne  
sunt, Deo placere non possunt. Rom. 8.  
<sup>b</sup> Rom. 1.

29. Hæc erat gentium misera conditio, priusquam Christo nomina dedisset, quod promissionibus vero <sup>a</sup> Israël factis destituti, à politia & vero populi Dei instituto essent alienissimi, nullam religionis veræ societatem, nullum sacrorum foedus, nullam cœlestis numinis habentes notiã: licet enim Deum, natura duce, <sup>b</sup> cognouissent, non tamen vt Deum glorificauerunt, sed instar pecudum suis cupiditatibus & desideriis obsecuti, hanc ita vitam decurrerunt, quasi futurorum bonorum, id est, gloriose resurrectionis & foelicitatis spem nullam expectarent. Quos Ecclesiæ hostes Sectarij videntur hodie imitari,



imitari, qui Euangelij luce cognita, procul tamē ab Ecclesiæ finibus errantes, ceu athei licentiosam viuendi regulam pro sua libidine corrupto interim diuini verbi sensu, sibi præscribunt (in c<sup>o</sup> passione desiderij, sicut Gentes, quæ ignorant Deum) contempta eorum pastorum auctoritate, quos Christus fidelium cœtui legitimè præfecit, cum tamen non ignorent ipsi Deum esse nō posse Patrem, cui Ecclesia nōn fuerit mater.

*Vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit*

30. Christi sanguinis pretio liberæ filiorum Dei Reipub. insitos ciues affirmat, qui procul inde olim exulabant Ephesios: ita vt ad eam politiam iam pertineant, quā vtitur Deus in iis<sup>a</sup> gubernandis, quos in peculiare<sup>a</sup> sibi populum elegerit, peccatis siquidem morte sua expiatis, quibus à Deo homines diuulsi, inter se etiam diffidentes contendebant, inimicitias Christus diremit; alteros alteris, id est, Iudæos Gentibus, & Iudæis Gētes, vtrosque deniq; Deo reconcilians. Meritò proinde pax, sicut alibi salus nostra dicitur, quia quicquid vel pacis, vel salutis apud nos est reperire, auctor est Christus. Hæc pacem, Rolloc, doles apud nos non prædicari? immò noctes & dies illā religiosissimè (quam vos alioqui pertinaciter oppugnatis,) canimus, summo studio hanc salutem prædicamus, & Christi membris hoc Christi beneficium diligentissimè singulis propè momentis inculcamus. Hinc etiam euincere conatur Rollocus, Christum decidere semper de controuersis in religione & modo colendi Dei, quasi Christus, vbi contentio de fidei aliquo dogmate fuerit exorta, è cœlis ad terras se demittere debeat, vt Rollocos Orthodoxis reconciliet.

<sup>c</sup> 1. Thessal. 4.

<sup>a</sup> Ioan. 4.  
Galat. 6.

Esai. 6.  
Filiij tui de longè venient.  
Luc. 2.  
Ioann. 6.

Ioan. 12. Si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad me.



a *Matth. 28.*  
18. cap.

b *Iob 1.*

c *Actor. 15.*

*Galat. 1.*

31. Tam cæcus es, vt non intelligas Christi Spiritum, vsque ad sæculi <sup>a</sup> consummationem præesse Ecclesiæ, quando in Christi nomine legitimè cōgregatos, in omnem semper inducit, sicut promisit <sup>b</sup> Christus, veritatē. <sup>c</sup> Apostoli orta contentione de lege cum Euāgelio obseruanda, Christi opem implorârūt quidem, at ipsi Spiritus sancti instinctu edocti concluderunt, Spiritui sancto, & sibi ita fuisse visum decernere, quam decernendi & iudicandi potestatem antea acceperant, non è cœlo conspicuā expectarunt. Paulus sibi non fidens ascendit non in cœlum ad Christum, sed Hierosolymam, vt cum Petro, Iacobo, & his, qui erant Ecclesiæ columnæ, conferret suum Euangelium, ne fortè in vanum currat, aut cucurrisse videatur. Sed ea est hostium Ecclesiæ superbia, vt omnem Magistratui Ecclesiastico potestatem ereptam velint, quò sua pro libidine, diuini & humani iuris effractis repagulis, grassari possint. Hinc est, quod Rollocus lites Catholicorum & Calvinistarum ante iudicij diem iri compositum, desperet. Quid ita? Quia dixit ad Deum: recede à nobis, viam sciētiarum tuarum nolumus.

*Medium parietem maceria soluens inimicitias in carne sus legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat.*

*Ezechiel. 37.*

32. Sicut legales diuersi ritus & cultus cærimonias, immò circumcisionem maceriem illam (quæ Christi sanguine corrui) fuisse putāt Patres, quæ Iudæos à Gentibus quasi vallo interiecto, separabat: ita humanum Catholicarum traditionum parietem corruere oportere putat Rollocus, vt inter Christianos, qui ex solo Dei verbo pendent, conueniat. Quasi, Rolloce, Dei verbum non sint traditiones per manus ab Apostolis & Patribus  
acce-



acceptæ, quas vel ipse Paulus non minùs, quàm episto-  
 las & sermonem sæpè iubet obseruari. Nūquamnè apud  
 Augustinum legisti, quod Euangelio nō esset fidem ha-  
 biturus, nisi Ecclesiæ auctoritate fuisset commotus? Fi-  
 dem & religionem Scriptura antiquiorem, atq; Eccle-  
 siam sine Scriptura posse constare insinuans. Quæ enim  
 ab origine mundi cœpit Ecclesia, Sacramentorum ri-  
 tus, leges & colendi Dei rationem & conuenientiam  
 non in chartis aut tabulis inscripta, sed in animis cōsue-  
 tudine imbutis quasi impressa semper consummauit.  
 Multa credit Rollocus, quæ scit sacris literis non conti-  
 neri. Quæ ergo dementia ipsum cœpit, vt omnia sacris  
 literis expressa pronunciet, quæ ad salutem sunt creditu  
 necessaria. Nouam legem te non fugit à Christo iussam  
 esse prædicari non scribi, &c.

2. Cor. 3.

2. Timot. 1. 2.

1. Cor. 11.

2. Thessal. 2.

1. Tim. 1. 2.

Marci 9. 6.

*Ergo iam non estis hospites & aduena, sed estis ciues Sanctorū,  
 & domestici Dei.*

33. Fidelis populi cœtus subinde œconomia formam  
 refert, quæ Patris cura administratur. Subinde status po-  
 litici rationem habet, cui Rex suo imperio præest. Si  
 quæ militat, Ecclesiam, primo modo spectes, priuatis  
 duntaxat rebus intenta, a domus faciem exhibet, cuius  
 Patres post Deum, sunt Apostoli & eorum successores;  
 si alteram formam consideras, ciuitatis imaginem ex-  
 primit, cuius Spiritu sancto moderatore, summus Ec-  
 clesiæ pastor est caput & princeps. Ephesios itaque ra-  
 tione domus, hospites, ratione ciuitatis aduenas vocat,  
 quasi à domo & ciuitate Dei antea fuissent remotissimi,  
 priusquam Christi mortis beneficio, tum Angelorum  
 conciues, tum Prophetarum & Apostolorum municipi-  
 pes

a 1. Timoth. 3.

Matth. 6.

Marci 13.

Matth. 16.

Luca 22.



pes effecti, ius ad patris cœlestis hereditatem promissionis spe, recepissent.

*Super aedificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.*

*Dan. 1.  
Act. 4.*

*Ioan. 10.  
1. Cor. 1.  
Apocal. 21.  
Matth. 16.*

34. Torquet se hic Rollocus contra Pontificios, qui, inquit, ut obtineant suum Papam, quem Petri successorem appellant, fundamentum & caput esse Ecclesię, hoc fundamentum de Apostolis & Prophetis intelligunt. Quid piaculi Rolloce, Christum, doctrinamque Apostolorum & Prophetarum esse fundamentum, affirmare? Neque enim vel Prophetę, vel Apostoli seipso predicarunt, sed Christum, adeo ut eorum accipere doctrinam, Christum sit etiam recipere crucifixum: Ut enim nihil dicamus, Apostolos à Scriptura (quod Christum annuncient) expressè fundamentum vocari, tum ipsa met Veritas id ipsum insinuat, quando Ecclesię suę molem Petro superstruendam esse, est contestatus, cui nec tu, nec inferorum portę hactenus potuistis pręualere.

*Ipsa summo angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.*

*a Matth. 5.*

*D. Thomas in  
hunc locum.*

*b 1. Cor. 3.  
Esai. 18.*

35. Is est eorum, qui à veritate recesserunt, stupor, ut principis, imique fundamenti & secundarij discrimen capere non possint, sicut nec id intelligunt, quod & Christus & Apostoli, diuersa tamen ratione, lux<sup>a</sup> alibi mundi appellantur, cum tamen id hic sicut alibi exprimat Paulus, quando in hoc ædificio lapidem angularem, fundamentum & reliquam structuram connectere ac perficere dicat Christum Iesum: quem ob firmitatem fundamenti lapidem, <sup>b</sup> angularem ob vtriusque populi, Gentium & Iudæorum coniunctionem, summum propter dignitatis celsitudinem, vocat. Dicit itaque Apostolus



stolus in hoc fundamento, Christo scilicet, tunc Ecclesiam construi, quando homines ad fidem fuerint conuersi, licet anima sancta suo modo, dicatur huic fundamento nixa superædificari, quando fidei in Christum bonorum operum & virtutum spiritualium exercitationem adiunxerit, quanquam & ab Ecclesiæ primoribus dici possit hoc ædificium erigi, qui verbo & exemplo in Ecclesia, cum fructu laborant, sicut & quilibet huic basi superædificari dici potest, quando in fide & bonis operibus incrementum sumpserit.

1. Pet. 2.

1. Cor. 3. Quisq;  
videat, quo modo superædificet.

Hebr. 3. Act. 6.

1. Pet. 2.

36. Purum itaque & putum est Rolloci mendacium, Pontificios præferre Ecclesiæ auctoritatem ceu fundamentum, Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ, solum enim dicimus ex Ecclesiæ auctoritate certum argumentum sumi, vel ad libros sacros admittendos, vel ad eos repellendos, qui sacri non sunt. Cùm enim Ecclesia, cui summus pastor Christi Vicarius, & Petri successor præfidet, in fide errare non possit, tum orto de Scripturis sacris dissidio, ad eius tribunal hæc causa semper iam inde ab Apostolorum temporibus est reuocata, sicut exemplo esse possunt Antiocheni, qui de legalibus quæstionem ad Apostolorum & Seniorum Synodum retulere, cuius Synodi sententiæ latæ ita obtemperauerunt, vt nullus esset vnquam dubitandi relictus locus, quam formam temporibus succedentibus, Patrum & omnium fidelium Apostolis succedentium series semper obseruauit. Fidem Rolloce nostræ Dei verbo sic esse coniunctam volumus, vt nullum Ecclesiæ assensum firmiter sustineamus, nisi quem à Deo extitisse habeamus cognitum & firmo conceptum animo. Ita enim nobis persuasum est, Christum Ecclesiæ suæ sic perpetuò ac conti-

Luc. 22.

1. Tim. 5. 1.

Act. 15.

Melchior Canus lib. 4. de locis Theolog. cap. 4.

E nenter



nenter adesse, & eam Spiritu sancto regere, ne quicquā pro fidei doctrina tradat, quod non fuerit idem Apostolis à Deo traditum.

## CAPVT TERTIVM.

*Huius rei gratia ego Paulus vincetus Christi Iesu, pro vobis Gentibus, si tamen audistis dispensationem.*

37.

*2. Tim. 2.  
Infra cap. 4.*



ENSVS est. Mea fides, meumque studium singulare, quibus in Euangelij dispensatione apud vos sum vsus, vt fidei mysteria insigniter eruditi, possitis ad Christum conuerri, causa sunt, cur ego Paulus, tum Apostolus, tum Gentium Doctor in carceris squalore detinear. Quod ipsum ideò sæpè alibi repetit, vt captiuitatis suæ occasiones omnibus consent, quæ pœnas & calamitates, quas patiebatur, gloriosas & laudabiles reddebant. Cùm enim causa, non sola pœna Martyrem efficiat, tum Christi fidem hoc ipso, quòd se eius vincetum confitetur, & vtilitatem Ecclesiæ, quia pro Gentibus patitur, suarum compedum causas adducit. Frustrà proinde ab hoc Pauli exemplo, solatij remedia petenda docet Rollocus suæ fidei homines, quando etiam religionis causa miserè fuerint afflicti. Esse enim (inquit Cyprianus) Martyr non potest, qui in Ecclesia non est. Ardeat licet flammis & ignibus traditus, vel obiectus bestiis animam suam ponat: non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.

*Cypr. de Simplic. Pralat.  
Aug. lib. 1. contra Donatistas  
cap. 9. lib. de patient. ca. 23. 26.*

38. Quare quod & subiungit Rollocus, quempiam amici quàm Christi nomine, libentius & facilius, immò pro



pro terrenis, quàm pro cœlestibus mortem citius appetiturum, planè falsum est. Sectarij siquidem non modò fortunas, opes, liberos, sed & vitam religionis causa profundunt, quàm totius mundi nomine, non essent in discrimen adducturi, quia homini natura ipsa comparavit, vt Dei quàm fratris aut amici, cœlestium quàm terrenorum bonorum causa pati malit, quod suo auctori, quàm sui simili, plus à se deberi natura magistra experiatur, & cum æternam beatitudinem homines appetant, facilius & promptius quis eius, quàm rerum interiturarum gratia vitam adducet in discrimen, & Dei quidem donum non minus esse Martyrium pati, quàm credere confitemur: at fidei Martyrium non esse difficilius, tum Scripturæ, tum rationi, tum etiam naturæ repugnat.

*Quoniam secundum reuelationem notum mihi factum esse Sacramentum, sicut supra scripsi in breui.*

39. Scientiæ siue prudentiæ suæ dignitatẽ tribus conditionibus illustrem reddit, primùm, quòd certa sit, vt quæ<sup>a</sup> non humana ratione, quæ sæpè fallitur, sed diuina reuelatione nitatur, quòd deinde perfectam maturitatem sit affecuta, vt quæ de cœlestibus & diuinis rebus à Deo sit profecta, à quo est omne donũ perfectum, quòd denique si Prophetarum & Patrum veteris Testamenti doctrinæ conferatur, excellentissima dignissimaque sit. Vnde subdit:

<sup>a</sup> Galat. 1.

2. Cor. 3.

1. Cor. 4.

Iacob. 1.

Matth. 11.

Luc. 10.

*Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum: sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis.*

40. Nullus, inquit, antea hominum ita perspicuè mysterium Christi cognouit, sicut Apostoli & Prophetæ noui Testamenti. Quod ipsum Christus ipse videtur in-



*Matth. 11.*

sinuâsse, quando Patri gratias egit, quòd illud paruulis reuelâsset, ipsisque datum esse regni Dei mysterium cognoscere, dixit. Quare & beatos eorum oculos prædicabat, quòd ea videre meruissent, quæ aliis fuerant abscondita. Licet enim veteris Testamenti Patres, vt Abraham, Isaias, &c. de viso Christi mysterio sint aliquando plurimum gauisi, id tamen discriminis intercedit, quòd illi generaliore & obscuriore: hi clariorem & singulariorem cognitionem acceperint. Patribus enim veteris Testamenti multifariè, multisque modis, id est, iam per Angelos, iam per obscuras rerum similitudines & somnia, olim locutus est Deus: at vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, non in figuris & ænigmatibus, sed reuelata facie, suam gloriam specularibus Apostolis, reuelauit, quia huius mysterij cum executores, tum dispensatores erant constituendi, & ideo maiore & copiosiore etiam doctrina indiguerunt.

*Luc. 8. 10.**Ioan. 8.**Ioël. 2.**Ionas 1. 4.*

*Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium.*

*Rom. 15.**Ioan. 1.*

41. Hoc maximè veteres Testamenti Patres dicit latuisse: Gentes scilicet non solum hæreditatis Iudaicæ genti promissæ factas esse participes, sed etiam in populi Dei œconomiam, gratiæq; diuinæ communicationem fore sine legis obseruantia admittendas. Quod ipsum in ea, quæ ad Romanos scripta est, etiã videtur insinuâsse, quando Christum fuisse ministrum Circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrũ dicit: Gentes super misericordia honorare Deum affirmans. Quæ omnia Gentes non per Moysen, sed in Christo sunt consecutæ, lex enim per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum, nec per impletionem



nem legis, quia fuit iugum, quod nullus portare potuit, sed per Euangelium. Notum, inquit, vobis facio Euangelium, &c. quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini.

*Ath. 15.  
1. Cor. 15.*

*Cuius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis,*

42. Sicut donum gratiæ (quæ à Scholæ Theologis facta, et gratum vocatur) ad propriæ salutis operationem minimè est sufficiens, si actualia, ut ipsi loquuntur, auxilia desint: ita munus gratiæ, quo ad aliorum utilitatem vitur homo, nisi efficaciter intus mouente Spiritu, est infirmum. Accepta enim gratia inutilis est ad exercitium, nisi per Spiritum sanctum semel acceptum moueatur quis ad operationem. Atque hoc est, quod Paulus dicit, se nec implere, nec exequi ministerium sibi commissum, quasi vel à se, vel suum proprium, sed ut Dei, vel ut à Deo.

*Impius Cayphas prophetauit.*

*Ioan. 11.*

*1. Cor. 4.*

*Mihi enim omnium Sanctorum minimo, data est gratia hæc:*

*In Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias*

43. Præteritæ vitæ suæ statum præsentis maximi ponderis, legationi, quæ fungitur, comparans Apostolus, exaggerat Dei incomparabilem erga se bonitatem, quod nihil maius dici fingique possit, quàm acerrimum Christi hostem eò prouehi, ad eamque dignitatem peruenire, ut misericordiæ diuinæ magnitudinem, quæ vel intelligi vel peruestigari humana acie non potest, non modo ad Iudæorum, sed & ad Gentium salutem mittatur prædicandam, tum euangelizandam. Cuius exemplo monentur Ecclesiarum Rectores, ut propriæ infirmitatis semper cōscij, de suis donis ipsi potius Deo gratias agant, quàm extollantur, quod Ecclesiasticæ functionis

*a Actor. 9.*

*1. Cor. 4. 15.*

*Galat. 2.*

*Esaiæ 33.*



b *Ecclef.* 19.

nis vtilitas ministri demissionem ferè semper spectare debeat. Et quia est, <sup>b</sup> qui se nequiter humiliat, Rollocus alios ex suo fortassè fingens ingenio, simulatæ humilitatis insimulat Pontificem, qui seruum se seruorum Dei appellat, cum tamen præter tyrannidem & dominium, inquit, nihil cogitet.

1. *Reg.* 10. 15.

16. 22.

3. *Reg.* 14.

2. *Paral.* 26.

*Athor* 5. 13.

1. *Cor.* 4. 5.

1. *Timoth.* 1.

44. Sic Magistratui Ecclesiastico apud politicos principes inuidiam parari posse nouit Rollocus, vt Pontificis & Episcoporum iugum excutiant, qui aliàs, reprehensiones à subditis non ferant, & superiorum legibus viuere detrectent. Et sanè Rollocum in vtriusque Testamenti pagina non mediocriter versatum, miror non animaduertisse tum ordinarios Sacerdotes, tum Prophetas extraordinarios à Deo semper fuisse missos, qui Reges ad superbiam & licentiam procliues in officio retinerent. Iam enim Saulem diuinæ legis præuaricatorem pronuntiata sententia regia dignitate exiit Samuel. Iam Ieroboamo Propheta suæ posteritatis sempiternum exitium denunciat. Osia restitit Azarias, cum aliis Sacerdotibus viris fortissimis: Athaliæ cæde & sanguine repleuit Ioiada summus Sacerdos templi atrium. Petrus, qui vilissimus antea piscator fuerat, iam factus Ecclesiæ summus Pastor, sacrilegium & mendacium Ananiæ & Saphiræ morte mulctauit. Paulus excæcauit Elymam magum; Virum in Ecclesia Corinthiaca insigniorem propter incæstum excommunicauit, hoc est, non tantum spirituali pœna affecit, verum etiam Satanæ tradidit in interitum carnis, vt caro & corpus eius variis tormentis conficeretur. Sed hæc Gnatoni principum sufficiant, qui & suum ministerium ab huius mundi hominibus contemni deplorat.



*Vt innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.*

45. In lucem proferendæ sapientiæ diuinæ miram varietatem prædicationis Paulinæ scopum fuisse ex hoc loco cognoscimus: Quæ in eo maximè sita est, vt non modo homines, sed & Angeli intelligant, Deum per res mundo abiectissimas, per crucem scilicet, humanum genus redemisse, Gentes in suam gratiam vocatas saluasse, & ad id piscatorum ministerio fuisse vsum, vt quæque fortia confunderet, & non gloriaretur omnis caro in conspectu eius. Cùm enim ab initio Deus omnia sapientissimè disposuisset, mundus autem in illa Dei sapientia non profecisset, sed potius periisset, alium modum excogitauit. Stultitiam<sup>a</sup> induit, & infirmitatem, a quibus & sapientiam & virtutem in mundum inueheret. Non quòd Angeli huius sapientia diuinæ multiplicem modum ignorarent, quem Apostolorum prædicatione fuisset ipsos necesse erudiri (verbum enim immediatè, in quo omnia relucent, semper conspiciunt) sed quòd experimento ipso cognouerint, illud mysterium credi ab hominibus, & habere apud eos suum progressum, secundùm quod in suis effectibus extrinsecus explicantur. Et hoc

*Secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.*

46. Manifestæ huius sapientiæ certa tempora sic à Deo fuere præfinita, vt fluere vellet aliquot sæcula, priusquam hæc arcana in omnium oculis & conspectu esse inciperent. Voluit enim antea videri mundum neglexisse, quem sub densis suis tenebris & diaboli iugo, totum, paucis exceptis, passus est detineri, donec tempus, quod

Ioan. 1.

Hebr. 1.

1. Cor. 1. 2.

a Philip. 3.



quod proposuerat, per Christum patefaceret. Ex quibus, Euangelij luce, nihil esse vel clarius, vel lucidius colligens Rollocus, reuelationem (Scripturæ explicationem intelligo) è cœlo petendam non esse putat. Si tam clarum est Dei Verbum, Scrutari<sup>a</sup> Scripturas, cur veritas iubet? cur post resurrectionem dubitantibus discipulis Scripturæ sensum & oculos aperit? cur Eunuchum Esaiam non intelligentem, docet Philippus? cur Apostoli subortis de fide controuersis è cœlo Spiritus opera implorant? Verum est, inquit, nemini obscurum esse Dei verbum, nisi cui oculus Dei, Spiritus scilicet sanctus deest, quasi verò Caiphas sceleratissimus Pontifex non prophetarit, quasi diabolus non credat & contemiscat, quasi Scribæ & Pharisæi Moysi cathedram occupantes legem ignorent. Sicut enim Solis splendore boni & mali irradiantur: ita & Catholici à Scriptura veritatis, & Calvinistæ hæreseos, & cacodæmones nequitia suæ à Scriptura sensum certa præsidia petunt.

*In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia, per fidem eius. Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus.*

47. Confidentia, cuius principium & origo est fides in Christum, eum animum addit homini, vt gratia & auctoritate, qua Christus pollet apud<sup>a</sup> Patrem, fretus, de Dei erga se bonitate & amore sibi plurimum possit polliceri. Quando enim conscientia quempiam non reprehendit, tum liberè & expeditè accessum, mediante Christo, habet ad Deum, vt ab eo aliquid impetret, credendo, Deum posse facere, quæ petit, & sperando, si ex sua parte non defuerit, quod necessarium est, facturum Deum, quæ petuntur, non sibi, sed ipsi fidens, quomodo ad Deum docuit etiam accedere Iacobus, quando dixit:  
Postulet

<sup>a</sup> Matth. 22.  
Marc. 12.  
Luc. 8. & 11.  
Act. 8.  
Act. 15.

Ioan. 11.  
Iacob. 2.  
Matth. 23.

<sup>a</sup> Hebr. 4.  
Rom. 5.  
Hierem. 3.  
Iacob. 1.



Postulet autem in fide nihil hæsitans. Quod, si Rollocus animaduerneret, non ita liberè vacillantem ac dubitantem Papistarum conscientiam reprehenderet, qui quoniam à Paulo edocti sunt, se ignorare, quid petere debeant, nisi Spiritus <sup>b</sup> sancti documento fuerint viam & rationem petèdi eruditi, & certò nesciant, amorenè, an odio sint digni, vt qui & Spiritus, an ex Deo, vel aliunde sint, non semper habent compertum; ideò sua ex parte semper esse possunt pauidi, licet de Dei potentia & benignitate non dubitent. Valeat itaque Rollocus præsumptionem Papisticam, vel potius verecundiam Catholicorum irridens, qui impudenter suam nimis libertatem iactat.

<sup>b</sup> Rom. 8.  
Eccles. 9.  
1. Ioan. 4.

*Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, in quo omnis paternitas in cœlis.*

48. Orationis studium Paulo fuisse admodum familiare, tum ex aliis, tum ex hac epistola potissimùm conficitur, qui, vt & amoris vim, & officij sui firmitudinem erga Ephesios declaret, summa animi demissione à Deo <sup>Eccles. 33.</sup> ipsis hanc constantiam supplici corporis & animi gestu <sup>2. Paral. 6.</sup> (quam ceu cærimoniam, miror, etiam à Rolloco laudari) implorare nititur, ne propter suas calamitates animo deiiciantur, sed potius maximæ laudi sibi ducant, quòd eo apud Deum sunt loco, vt sibi charissimos suos Apostolos patiatur sua causa Deus affligi. Deum hic auctorem & Patrem vocat Apostolus, vnde genus & originem trahunt, tam spiritus in cœlis, quàm homines in terris, tam qui in hoc sæculo clari degunt, quàm qui sunt futuram vitam victuri.

49. Huius Paulinæ precatationis ad impetrandam in gratia perseuerantiam præsidio, erectus Rollocus, hære-

F

seos



seos labe notat ( licet calumniosè ) Orthodoxos quasi perseuerantiam suo merito tribuant, dicantq; Deum in nobis causam inuenire, quâ moueatur, vt nos cõuersos seruet. Sed more suo falsi crimē, vel ex eo fit perspicuum ipsis affingere, q̄ apertè Concilium Tridentinũ nuper decreuerit, iustum longo tempore ad finem vsque vitæ perseuerare in gratia non posse, nisi actualibus auxiliis, missisque diuinitus adiuuentis, de nouo ac sæpius col-

Matth. 5. 27.

1. Pet. 3.

Psal. 126.

latis fuerit adiutus. Quorsum enim iubet orare Christus, ne inducamur in tentationem? cur toties ad vigiliis & orationes inuitat? Nouimus enim, nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilare, qui custodit eam, & cum longo temporis spacio varia incidant, quibus hominis affectus, tum carnis stimulis, tum mundi lenociniis, tum insidiis diaboli facilè de suo statu potest deiici, debet continuò diuinis præfidiis fulciri, auxiliis è cœlo missis tum excitari, tum adiuuari, vt quando stat, non cadat, sed in finem perseuerando, saluus fiat.

*Vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Christum*

50. Primum est, quod precibus à Deo nititur impetrare ipsis Ephesiis Paulus, vt postquam Christum prædicatum iam receperunt, ac eius doctrinam amplexi mente & affectu fuerint, Christus in ipsorum animis ita inhæreat, vt in iis operetur, eosq; effectus faciat, vt continuam eius operationem, promotionem, ac tutelam sentiant & experiantur. Dicitur enim Christus alicuius iusti cor inhabitare, siue <sup>a</sup> mansionem facere apud eum, quando inuisibiliter ad eum per dona gratiæ infusa cum Trinitate tota venit. Vnde alibi sæpè hortatur Christus, per sermonem suum iam purgatos discipulos, vt in se

1. Ioan. 14.

per



per fidem & dilectionem mancant, quod per suam gratiam & Spiritum ipsos velit etiam inhabitare. <sup>Ioan. 15.</sup> Viderit proinde Rollocus, quàm benè somnient Papistæ de fide. Id scilicet, quod ipsa veritas à fidelibus populis requirit, vt omni studio & diligentia in eam curam incumbant, quò Christus in ipsis maneat, & Christus cum ipsis; ipsorum verò cum Christo vnio iugiter perseueret.

51. Manent quidem in Christo fideles peccatores per fidem, sed vt palmites infrugiferi. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare, quod ipsi non faciunt: at manent iusti per fidem & dilectionem, vt palmites facundi, centuplum fructum afferentes: Qui priori modo manent in Christo, in eo Christus <sup>Ioan. 15.</sup> absolutè non manet; qui postremo, in eo Christus manet, ac in eo radicatur & fundatur: Omnis autem, qui in ipso manet, non peccat, sed ope Domini ad virtutis viam magno conatu percurrendam solet incitari.

52. Si huius coniunctionis formam haberet Rollocus perspectam, desineret nescio quid monstrare, quærendo ex Catholicis, cur monstrum corporalis coniunctionis Christi & nostri quærunt. Vbi dupliciter hallucinatur: primùm, fidem duntaxat, quæ scilicet per charitatem non operetur Christi & hominis glutinum fingendo: corporis deniq; & sanguinis Christi mysterium, quo hominum fides fulcitur, spes erigitur, & charitas mirum in modum accenditur, impiè couellendo, cum tamen nihil sit, quod æquè hominem Christo coniungat, quàm hæc cœlestes dapes. Sed ea est hominis inscitia, vt diuersos modos, quibus sanctis hominibus Christus est cibus, non percipiat. <sup>Ioan. 6.</sup> Annè Rolloce cibus anime <sup>1. Cor. 11.</sup> Christus est, quando eius virtus in nobis operatur in-



fundendo gratiam, remittendo peccata, & impertiendo Spiritum, siue quantum ad principium, siue quantum ad incrementum. Sicut corporalis cibus corpora: ita Christus sua virtute animam reficit, confortat, recreat, immò per peccatum spiritualiter mortuis vitam restituit. Sed tamen inde non conficies, non modò secundum virtutem, sed etiam re ipsa modo ineffabili, sub panis & vini speciebus secundum substantiam suam, ipsum Christum nobis non communicari, quando scilicet panis dicitur, quia non solùm animam secundum suam virtutem reficit, sed etiam secundum substantiam nobis communicatur sub veri panis speciebus contentam, qui duo manducandi modi separatim ita debent considerari, vt posterior sine priore non proficit.

*Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam*

53. His, generatim conatur Apostolus explicare magnitudinem mysterij, quod pro nobis per Christum est dispensatum, quod in eo maximè versatur, vt homines in fide radicati & fundati in meditatione diuinitatis & humanitatis Christi semper occupentur. Et quia quicquid est in redemptionis humanæ, verbiq̃ue incarnati Sacramento, opus est charitatis: ideò scire charitatem Christi, est omnia mysteria incarnationis cognoscere, quæ ex immensa Dei charitate processerunt: quæ quidem charitas omnem intellectum creatum & omnem scientiam excedit. Paulus verò charitatis nostræ perfectionem attendens, hanc à nobis fidei firmitudinem & constantiam requirit, vt cum omnibus sanctis possimus intelligendo consequi, quæ sit latitudo, & extendatur charitas nostra vsque ad inimicos, quæ longitudo, quæ scilicet

*Job. 11.  
Eccles. 7.  
Philip. 3.*

*1. Cor. 15.  
Rom. 5.*



scilicet nunquam deficiat, quæ sublimitas, vt Deus propter seipsum diligatur, & quæ profunditas, quia consiliorum Dei profunditas, qua vtitur in hominis prædestinatione, penetrari non potest. Et hanc charitatem humano spiritu ac modulo nos metiri mentitur Rollocus, qui ad hoc, vt penetrare eam charitatem possimus, actas in fide profundius cum Paulo requirimus radices, quia frustra à Deo hanc gratiam impetrare niteretur Apostolus, si in nostra essent solum potestate abyssi profunditates diuinarum rerum dimetiri: sed enitendo dicimur Dei charitatem Christi cognoscere, vt quanto DEVS magis fuerit cognitus, tantò & magis diligatur.

54. Et quia Christus non sine causa crucem, quàm aliud mortis instrumentum magis elegit, vt charitatis magnitudinem exprimeret: ideò dicunt Patres, per latitudinem crucis, transuersum lignum, per sublimitatem, ligni partem, vbi erat titulus, per longitudinem, ligni partem à transuerso vsque ad terram, per profunditatem, quæ latet sub terra intelligi, ita quod hoc signo perfectionem Christianam indagari voluerit, Patris sapientia, quando per profundum, fidem, per sublime, spem, per latitudinem, charitatem, per longitudinem, perseverantiam significari voluit.

August. ep. 120. cap. 26.  
Irenæus lib. 5.  
Gregor. Nyss. orat. 1. de Resurrect.  
August. epist. 119. 120.  
Hieronym. Theophil. in hunc locum.

CAPVT QVARTVM.

Obsecro itaq; vos ego vincetus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate.

**S**ICVT vitæ naturalis in homine principium, & basis omnium tum facultatum, tum actionum est substantia; ita spiritualis, vt suprâ insinuauimus,

55.



*Joan. 7. Sittien-  
tes Venite ad  
aquas.*

mus, est gratia, à qua diuersi ordinis virtutes oriuntur, quibus aliquis nouum iam hominem indutus, supernaturæ vires æternæ vitæ meritorias actiones operatur. Cuius effecta gratiæ, Christus ipse clariùs expressit, quando eos omnes inuitauit, qui summū bonum, & suam perfectionem desiderant & quærunt, vt veniant ad eum per fidem, promittens eis tale bonum, ac tantum, vt non ipsis solū sufficiat, sed vt in alios etiam possint deriuare. His ergò donorum spiritualium opibus à Deo per Christum dicatos Ephesios, hortatur Paulus, vt donorum, vocationisq; suæ dignam vitam agere, ac inter suos ciues ac domesticos in sanctitate & iustitia versari velint. Quod frustrà ab ipsis, Rolloce, exigeret, si ita comparari non possent & institui, vt ad præmium, tua ex sententia, ambulare nequirent.

56. Nequiter proinde Iusticiarios ad respiscenciam inuitas, quasi suæ vel prædestinationis vel vocationis causam, suis meritis aut operibus arrogarent, qui gratiæ diuinæ, initium suæ iustitiæ grata semper memoria adscribunt. Verendum tamen est, ne malam gratiam apud tuos in eas, quando ea te reuerentia seruorum Dei vincula, in quibus hîc gloriatur Apostolus, exosculari iactitas, vt principum purpuris & diadematibus, longis ea interuallis præferenda censeas. Id si ita est, cur auri & argenti thecas, vasa, ac ornamenta singulari opere & artificio fabricata, quibus eæ cathenæ continebantur, ipsis non modò vinculis, sed & ipsis ossibus & cineribus Sanctorū exustis, direpta, in prophanos vsus sacrilegè conuertenda esse passim docetis?

*Solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, Vnum corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna.*



57. Monitionis suæ scopum esse animorum coniunctionem, quæ vinculo pacis & charitatis constringatur, exponit, vt quemadmodū in homine plurima multo sibi membra compaginata seruiunt; ita multi fideles vnum in Christo corpus esse velint, spirituales consensum fidei, spei, & charitatis arctissimè retinentes: cū enim à Deo omnis gratiæ, Vocati sint omnes in æternam gloriam suam, quæ commune omnibus est cōstitutum præmium, idè simul omnes in vnitatem Spiritus incedere simul laborare, ac mutuis se officiis prosequi debent.

Galat. 6.

Coloss. 1.

Ioan. 17.

Rom. 12.

1. Pet. 5.

*Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in*

58. Si, quam Paulus hīc desiderat harmoniæ Ecclesiasticæ nostræ vnitatem accuratius aduerteret Rollocus, societatis & pacis perturbatorum esse minister diceret, quos hic ceu seditiosos, officij, licet parū sapienter, commonefacit. Vnitatis seruandæ formam tribus vinculis exprimit: primū, vnitatem principij, Dei scilicet vocantis; vnitatem nempe vitæ æternæ, quam sperant, & quam vocati sunt Ecclesiæ ciues; vnitatem deniq; mediocorum, per quæ ipsis ad illam contendendum est, scilicet fidei, baptismi, & reliquorum Sacramentorum, quorum quasi ianua est baptismus. Quemadmodum enim eius Reipub. ciues dici non possunt, qui communibus legibus sub vno Magistratu, communis boni causa non viuunt: ita ad Ecclesiam non pertinent, qui nō eundem Ducem, nempe Christum sequuntur, eiusdem leges, fidem nimirum, non profitentur, idem bonum, beatitudinem videlicet vnam non expectant. Cuiusmodi credentes primitiæ Ecclesiæ depingit Lucas, dicens, eorum

Ioan. 3.

Marci 6.

Act. 16.

rum



rum cor, fuisse vnum, animam vnam. Ita multos vocat  
 1. Cor. 10. vnum Apostolus, qui vnum panem comedunt, & vnum  
 corpus, qui calicem eundem participant, Lutheranis  
 iure insultat Rollocus, qui fidem hoc loco fiduciam in-  
 terpretantur, cum dicat Paulus, vnam esse fidem, id est,  
 omnes idem iuberi credere, & eodem modo operari,  
 quia vnum & idem est, quod à fidelibus debet credi;  
 quæ ratio est, cur fides Catholica vocetur; Quod ipsum  
 1. Cor. 3. à Corinthiis exigebat Apostolus, petens, vt idem sen-  
 tirent omnes, nec inter ipsos essent vel dissensiones vel  
 schismata.

*Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram  
 donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum*

59 Licet fideles in hoc omnes conspirent, quod eis  
 vnus sit Deus, vna fides, &c. habent tamen singuli do-  
 nationes secundum gratiam, quæ data est eis, differen-  
 tes eò, quod cuilibet de suæ gratiæ plenitudine Christus  
 emetiatur & diuidat secundum propriam virtutem, vt  
 sicut in eius potestate est largiri vel non largiri: ita tan-  
 tum vel minus dare, ad eius voluntatem pertineat. Om-  
 nis siquidem gratia & spirituale donum fidelibus tam  
 ad priuatam, quam ad proximorum vtilitatem data, à  
 Christo, vt à fonte semper dimanarunt, quia ipse est, qui  
 omnibus antè & post se hominibus suo aduentu, om-  
 nem à Deo benedictionem obtinuit, sicut principio ex-  
 plicuimus, quod & Regij vatis auctoritate confirmat  
 hoc loco Apostolus, victoriam aduersus Syros olim ha-  
 bitam Christi victoriæ typum fuisse insinuans, nempe  
 Christum à terra exaltatum omnia ad se attracta, id  
 est, beatas Sanctorum animas in cœlum secum victo-  
 rem abduxisse.

Matth. 25.

1. Cor. 3.

Rom. 12.

Ioan. 1.

Sap. cap. 1.

Psal. 67.

2. Reg. 18.

Ioan. 12.

Quod



*Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm  
in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est.*

66. De cœlo Christum descendisse nō est aliud, quàm Deum, qui in cœlo est, hominem expurissimis sanguinibus virginis Matris Spiritu sancto cooperante, esse factum: solius enim diuinæ naturæ ratione non descendit, cùm vbique sit, ratione verò humanæ non descendit, quia non erat in cœlo, secundùm quam dicitur hic <sup>Ioan. 3.</sup> ascendere, nam vt Deus præpotenti diuinitatis virtute in cœlos ascendit, & vt homo. Quamuis enim naturali virtute id fieri non potuerit, tamen virtus illa, qua beata CHRISTI anima prædita erat, corpus, vt libuit, mouere potuit, corpus verò quod iam gloriam adeptum erat, mouentis animæ imperio facile parebat. Ideò, inquit Paulus, ascendit CHRISTVS: quia ipse primò <sup>Catech. Rom.</sup> descenderat, factus mortalis vt ascenderet immortalis: aliter enim ascendere non potuisset; exinaniuit enim semetipsum, formam serui accipiens, & habitu inuentus est vt homo, propter quod datum est ei nomen, <sup>Philip. 2.</sup> quod est super omne nomen, neque enim ascensu materiales cœlos tantùm, verùm etiam omnem creaturam superauit. Vt quemadmodum non in hunc tantùm inferiorem orbem, sed in ima terræ loca descendendo penetrarat: ita summa ac media quæque occupans omnia completeret.

67. Christo enim mortuo eius anima ad inferos, id est, ad ea receptacula descendit, in quibus animæ Sanctorum antè Christi aduentum excipiebantur, ibique sine vllo doloris sensu beata redemptionis spe sustentatæ, quæta habitatione fruebantur. Quod licet impiè rideat Rollocus, Scripturæ tamen auctoritas, & Apo-

G . . . stolica



Psalm. 15.

stolica traditio ipsam confirmant. Quid enim Davidis testimonio clarius: Non derelinques animam meam in inferno: quo fit euidens, Christi animam non sic ad inferos descendisse, eius ut vis & virtus eò tantum penetrarint, sed omninò credendum est, eum re & præsentiā descendisse, ut educeret Vincitos, de loco, in quo non est aqua, & omnes illuminaret, qui timent Dominum.

*Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem*

62. Cæcutit hoc loco Rollocus, qui donorum nomine, diuersi status, variæque dignitatis munera Ecclesiæ constituendæ collata, vel non intelligens, vel ministrorum Ecclesiæ hierarchiam non cernens, quas nescio functiones & officiorum efficacium dona, in medium adducit: quasi legitimè ab Ecclesia vocati Pastores & Doctores non sint existimandi, qui donis internæ gratiæ caruerint, ac procliuitatis ad bonum sensum se re ipsa vocatos non esse fuerint experti. Pauperum verò curam diuersi ordinis sacri dignitatem constituens, quæ Diaconos efficiat, facilè commonstrat, quantum à SS. Patrum sententia discesserit, qui Diaconorum ordinem non ad solam sollicitudinem indigentiam: sed & ad Sacramentorum dispensationem, & ad doctrinæ Christianæ explicationem semper reuocârunt, licet interim temporalium, piam curam ipsos etiam administrâsse, non eant inficias. Sed & vocationis ordinariæ, ab extraordinaria fictum ab ipso discrimen, adeò monstrosum est, ut dispensationis Christi Sacramentum penitus euertere videatur. Ideò enim Christus, inquit, venit in hunc mundum, quòd esset perditus Ecclesiæ status, & quod



quod non modò Gentium, sed & Iudæorum res essent deploratæ, vt ordinarios ministros redigeret in ordinē: ita extra ordinem Apostoli vocati sunt, qui perturbatissimam rerum omnium faciem renouarent, & postremis temporibus, Hussus, Lutherus, Zvinglius sunt extraordinariè vocati, qui tyrannidem Antichristi coërcerent.

63. Quasi verò Christus, vt Reipub. Iudaicæ ruinas refarciret, carnem assumpserit, non autem potius, vt nouam Christianorum Ecclesiam constituens, ordinarios eiusdem moderatores eligendo, formam in posterum vocandi Pastores & Doctores inchoasset & exhibuisset, sicut hic apertè confirmat Apostolus, quando dispareres tum officio, tum gradus auctoritate ministros Ecclesiæ datos fuisse contestatur. Idem enim munus, quod à Patre acceperat Christus, dedit Apostolis, quos ita suos Vicarios instituit, vt qua auctoritate à Patre missus fuerat, eadem & ipsi mitterentur, ac tum alios etiam mitterent, nō ad prædicandum modò, sed & ad gubernandum, & ad dirigendum mundum, in viam salutis & veritatis. Neque enim hoc munus quisquam exercere iam inde ab ipso Christo vsque ad diem hodiernum potuit, nisi diuina missus esset auctoritate. Iuxta quod ad Hebræos scriptum est: Nemo sibi sumat honorem, nisi vocatus. Vnde potestatem hanc Apostolis conferendo, exteriori flatus cærimonia Spiritum sanctum iis tum ad instructionem, tum ad perfectionem impertiit, qui Spiritus in tota legitimè vocatorum posteritate semper permansit, quo destituti sunt omnes, qui Reipub. Apostolicæ ciues non fuerint insiti. Cùm enim, vt inquit Augustinus, inspiratio illa, de qua illic agit Domi-

Matth. 28. 16.

Ioan. 10.

Hebr. 5.

Matth. 28. 23.

1. Tim. 6.

Rom. 10.

1. Cor. 10.



nus, gratia quædam fuerit, quæ per traditionem potestatis infunditur ordinatis, tum ubi potestas ordinationis nõ est, nec ibi gratiæ collatio erit. Vnde fit perspicuum, in Ecclesia hanc solam residere, quæ columna est & firmamentum veritatis.

*Luc. 6.*

*1. Cor. 12.*

*Luc. 21.*

*1. Tim. 5.*

*Act. 2.*

64. Quemadmodum verò Apostoli duodecim, qui gradu & dignitate septuaginta duobus præirent, sunt electi: ita qui iis successerunt Episcopos à Presbyteris dignitatis gradu semper fuisse diuersos, tum Scripturæ auctoritas, tum Patrum consensus, tum Ecclesiæ consuetudo semper comprobârunt. Nisi enim distincti fuissent horum ordinum gradus, Timotheus à Paulo non prohiberetur aduersus presbyterum accipere accusationem sine duobus vel tribus testibus, nec Titus fuisset iussus per ciuitates constituere presbyteros, nec Matthias antè discipulus, nouo ritu Apostolorum collegio annumerandus, debuisset ordinari. Ex quibus splendidè mentiri Rollocum fit perspicuum, quando Presbytero & Episcopo parem à Scriptura tribui auctoritatem confingit. Qua etiam impudentia ministeriale in Ecclesia constitutum esse caput negat, propterea quòd eius hîc à Paulo, inquit, nulla fiat mentio.

*Matth. 16.*

*Ioan. 6. 14.*

65. Sed nõ intelligit, quod etsi potestas in vniuersam Ecclesiam ordinaria data sit Petro, extraordinaria tamen & delegata aliis etiam Apostolis initio Ecclesiæ data fuerit, qui vbiq; poterant prædicare, baptizare, ordinare, vt fides eò citius toto terrarū orbe posset extendi, ipsis tamē Apostolis mortuis, Apostolicā auctoritatem in solo Petri successore ordinariā permansisse, ex eo fieri euidens, quòd nullus vnquā Episcopus omnium Ecclesiarum



fiarum sollicitudinem habuerit, sicut solus Christi Vicarius, & Petri, cui claves promissæ, oues commissæ fuerunt, successor. Quo etiam conuincitur, Rolloci commentum esse falsum, afferentis politici regiminis caput à Deo hominem esse constitutum, Ecclesie verò solum moderatorem esse Christum. Quasi verò Ecclesia militans, quæ visibilis est, visibili capite non indigeat, quod absente corporaliter Christo, præsit, vt visibilem hanc Ecclesiam in vnitæte fidei, doctrinæ, morumque contineat. Quò cælum conscensurus spectasse videtur Saluator, quando promissam antea gubernationem tum Prælatorum, tum subditorum, tum inferiorum, tum superiorum sub ouium & agnorum nomine vni Petro commissam voluit, quam eius successores per manus sibi iure semper vendicârunt, vi promissionis & commissionis à Christo ipsi Petro factæ.

66. Quos verò cæcorum duces commemorat hîc Rollocus, fures & latrones fuisse constat, quod nec per ostium in ouile ingressi, nec vocati, multas animarum myriades mactârunt, quando Christianæ doctrinæ veritatem iactantes, non tam per Christum, qui est ostium, siue per eam, qui in ipsum est, fidem, siue per eius pastores, quàm per inferiorum portas in Ecclesiam sibi parârunt aditum.

*Ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in adificationem corporis Christi, donec occurramus omnes*

67. Ideò Apostoli, Prophetæ, &c. sunt Ecclesie dati concessi, vt nos veluti paruulos regant & instituant, donec omnes credant in Christum, & eum agnoscant, desinantque esse paruuli fluctuantes, sed perfectam ac solidam habeant fidem, nullis hæreseon flatibus, nullis



*Philip 3.**Esai. 53.**Rom. 10.**Math. 11.**Luc. 10.*

persecutionū procellis obnoxiam, donec firmi ac constantes in vera Christi cognitione maneant, ac sic demū edificium illud, quod in Christo Pater proposuit, membris, partibus & modis omnibus sic compleatur, ut amplius illi nihil desit. Cū enim verum Christi corpus ad plenam triginta ferè trium annorū ætatem perductum idæa sit corporis mystici, eius ætatis perfectioni conformis erit sanctorum ætas, quando fuerint à mortuis suscitati, quia nullus in eis senectutis defectus aut deformitas, reformabit enim corpus humilitatis nostræ Christus cōfiguratum corpori claritatis suæ. Et quia Pastores & Doctores sæpè frustra verbo & exemplo in Ecclesia laborant, ineptè colligit Rollocus, certam legitimæ vocationis diuinæ notam ex efficaci ædificatione debere colligi, nisi velit Esaiam contendere minimè fuisse Prophetam, quòd eius auditui, ut ipse queritur, nemo crediderit, aut Paulum Apostolum dignitate velit spoliare, quod eius Euangelium non ita efficaciter in hominum animis operaretur, & Christum nō fuisse Messiam enunciat, qui tum verbis, tum signis parum sæpè fructus retulit.

68. Sanè habet Ecclesia Catholica veros Doctores, licet eis euangelizantibus nō credat Rollocus, sicut Sol verè suas vires exerit, licet eius splendori aliquis sæpè obex obsistat. Christi corporis ædificationem verbi diuini prædicati effectum esse libenter Rolloco concedimus, sed solius Scripturæ angustiis verbum Dei, quòd omnia ad salutem necessaria contineat, restringere non possumus, quia longè plura credenda, tenendaq; sunt, quam quæ Scriptura docet. Frustrà proinde hinc Pontificiorum ementitas traditiones damnat: nam cur Doctores Ecclesiæ datos putet? nisi ut Scripturæ sensum aperiant, sacros



facros libros interpretentur, & plurima, quæ nec aperte nec obscure sacris literis continentur, ad doctrinam tamen fidelium pertinent, depromant, & exquirant diligenter quid vniuersa semper tenuerit Ecclesia, quid consiliis institutum, quid retentum, quid damnatum, quid uè sit probatum. Frustrà etiam & Prophetæ & Euangelistæ essent dati, si solius verbi scripti præsidio Christi corpus deberet ædificari, quòd non omnia suppeditet, quæ & ad fidem & ad mores iudicari possunt esse necessaria.

*Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulauit in vanitate sensus*

69. Eorum, quæ hæctenus à Paulo dicta sunt, hic erat scopus, ut in fide confirmatos Christoque insitos Ephesios, ad vberes bonorum operum fructus incitaret. Hinc eos, ut iustè velint ambulare, seriò cohortatur, viam & rationem in Spiritu proficiendi insinuans. Ac imprimis mentem viciis, prauisq; cupiditatibus vacuam, quæ de singulis actionibus rectè diiudicet, requirit, demùm ut Deo rerum omnium principio & fini innitatur, ad eius legem tanquam ad regulam certissimam, qua suum finem assequantur, omnia sua consilia & cogitationes reuocantes, ne veteri Gentium consuetudini insistentes, sapientiæ lucem, per quam Deum verè debent cognoscere, atq; diligere amittant.

70. Quemadmodum enim is, qui solis splendori oculos claudit, in tenebris versatur: ita qui à Deo recedit, dicitur eius cor siue animus obscurari, quando sibi, non Dei bonitati sapientiæ opinionem adscripserit, quia ut est apud Prophetam: Stultus factus est homo à scientia sua: Cùm enim gentes naturali cognitione, rerum creaturarum pulchritudine & magnitudine adducti, Dei potentiam,

Galat. 5.  
2. Tim. 4.  
Ioan. 15.

Sap. 2.  
Iob. 2.  
Hierem. 18.  
Rom. 1.  
1. Pet. 2.  
Sap. 13.



*Psal. 18.*  
*Rom. 1.*  
*1. Cor. 12.*

tiam, maiestatem, sapientiam, virtutē (in quibus effectis velut in speculis & libro quodā relucebat diuinitas) cognouissent, vani sunt facti, eò quòd contenti inquisitione, & quā inquirendo adepti erant, cognitione, animum non intenderunt actioni, quę inquisitionis & cognitionis est finis: Sicut, qui multa de Deo disputant, nec tamen hoc agunt, vt tota animi adhæsione illum amplectantur, in eiusque amore magis ac magis proficiant: quibus timendum est, ne eueniat, quod Philosophis, qui cum agnitum Deum non glorificassent, ita se libidini exposuerunt, vt ad omnem occasionem illa vterentur, nihilque prætermitterent, quod esset immundum, ita vt illorum libido terminū nesciret, non quòd natura sua huic libidini hominis mens seruiat, vt vult Rolloocus, Papistas & Philosophos ridens, quòd regina facultatum ab ipsis constituatur, sed quòd admirabili illa vi, quam ei Deus inseuit, cuius vigore poterat in Dei notitiam nō modò venire, sed ex notitia in eius amorem inflammari, sponte soleat abuti, quę naturalis cognitionis præsidio multa bona, honesta, & vtilia poterat mandasse effectui.

*Si tamen Christum audistis, & in ipso edocti estis (sicut est veritas in Christo Iesu) deponere vos secundum*

*1. Theff. 2.*  
*2. Theff. 1.*

71. Quia disciplinæ, auditus obsequitur, vult Ephesios memoria repetere Paulus, quę de Christi fide & imitanda vita audierant prædicari: ex quibus facillè, inquit, colligerent, quàm contraria sit doctrina gentilium doctrinæ & vitæ Christi. Illa enim vitiiis seruit, & vetus homo dicitur, hæc vitiiis extirpatis, virtutes inserit & plātat, & vitę nouitas appellatur. Cum enim ea vetusta dicantur, quibus ruina & corruptio proximè impēdent (quod enim antiquatur & senescit, propè interitum est) tum homo pecca-

*Proverb. 15.*  
*2. Hebr. 8.*



peccati obnoxius, secundum imperfectionem, quam per Adamum attraxit, viuens, dicitur vetus, quod à natura suæ origine recedens, rationis scilicet imperio neglecto, brutalibus illecebris & cupiditatibus carnis agatur: quam ideò vitæ verustatem iubet alibi Paulus cum omnibus actibus suis expoliari, vt hominem eum possint homines induere, qui est secundum agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui creauit illum. Ex quibus, Christi cognitionem cum Rolloco sanctimonix agnitionem esse lubentissimè confitemur.

Roman. 13.

1. Timoth. 6.

Sapient. 2.

Coloss. 3.

72. Cuius initium cognitionis cum sit verbi diuini prædicatio, tantum abest, vt verbo Dei peccatum imputemus (quemadmodum mendaciter Papisticis affingit Rollocus) quin potius beatos eos prædicemus, qui Dei verbum non modò audiunt, sed & custodiunt. Quin immò verbum Dei corda hominum in Christo fructu ferentia, & per gratiam, fidem & dilectionem vnita, sic purgari dicimus à peccatis, vt plus semper in vita fructus afferant. Purgat enim Dei sermo hominum animos à multis imperfectionibus, tum illustrando & docendo, tum increpando & admonendo, tum instruendo & affligendo, cum tam viuus ac efficax sit, vt omni gladio ancipiti sit penetrabilior, immò pertingat vsque ad diuisionem animæ & Spiritus, compagumque & medullarum.

Luca 11.

Ioann. 15.

Hebr.

*Renouamini autem spiritu mentis vestra, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in*

73. Quod secundum carnem natum est ex aliquo, tale est, inquit Basilius, quale id, ex quo natum est: cum ergo omnium hominum principium fuerit Adamus, per quem in omnes peccatum pertransiit, quando à volun-

H

tate



*Psalm. 50.* *Osea 8.* *1. Corint. 15.* *Gen. 6.9.* *Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit.* *Gal. 5. In Christo Iesu circumciso, &c. nihil est, sed noua creatura.*

rate diuina descendit peccando, clarum est, homines omnes non sine peccati labe, & cum rectitudinis ac ordinis naturalis defectu procreari: omnes enim sicut Adam, transgressi sunt pactum, ibi prauaricati sunt in Deo, dicit Oseas. Quemadmodum vetustatis initium fuit Adamus, ita nouitatis est CHRISTVS, quia sicut in Adam omnes moriuntur: ita omnes in Christo viuificantur. Vt enim homo viuit vita vegetatiua, sensitiua, rationali, secundum quam non quicquid agit aut cogitat, peccat, vt vult Rollocus ( licet ab adolescentia sua ad malum propendeat ) ita natura humana super esse humanum, Christi meritis, per Spiritum sanctum accipit aliam vitam diuinam, supernaturalem, incorpoream, cuius certa sunt indicia conuersationis, virtutum, & vitæ Christi imitatio & expressio, secundum quam hominem nouum dicitur hic quispiam indutus, quando scilicet ex ipsis operibus nouæ & diuinæ mutationis, ac natiuitatis internæ efficacia fuerint edita argumenta.

*Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo, & ira*

74. Quia à præcipuis vitiis, quæ in Decalogo continentur, conatus est Apostolus paulò antè Ephesios dehortari, hinc monitionis causam reddit, quia Spiritus sanctus hominis cor inhabitans, his peccatis contristatur. Sicut enim, quando quispiam contristatur, ab eius, qui contristat, societate procul disiungitur; ita Spiritus S. à peccante. Quasi Paulus dicat, ne quidquã faciant, quo si fieri posset, meritò Spiritus S. posset contristari, Spiritus enim disciplinæ effugit fictum, & aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, cuiusmodi

*Sapient. 1.* *2. Corint. 1.*



iufmodi sunt, quas antea attigit, furti, mendacij, fornicationis, scurrilitatis, superbix, quas qui in animum admittunt, diabolo cenferi locum dedisse debet. Quæ expositio, etsi ad Pauli mētem satis accommodata videatur, non tamen malè sentiunt, qui verbis obscænis in confessu piorum virorum sine ratione effusis, dicunt, audientium animos, inhabitantem Spiritum sic conturbari, vt quasi tristis abscedat, eò quòd qui Deo adhæret, vnus cum illo spiritus efficiatur. Ex quo Spiritus sancti ab homine discessu, maximum damnum provenire, fit inde perspicuum, quòd Dei imaginem, animo suo impressam, amittat, quam ea die, qua Christi per Baptismum redemptionis particeps effectus fuerat, acceperat, dum ei Spiritus Dei character imprimeretur, & gratiæ arra eius cor donaretur, quæ diligenter aliàs erat custodienda, quòd ea perdita, nemini salus contingat, vitaque æterna concedatur.

## CAPVT QVINTVM.

*Estote ergo imitatores Christi, sicut & filij carissimi.*

**D** M A X I M O hominibus est argumēto, quòd sint Dei filij, si facilè remittant iniurias, & inimicos diligāt ex animo, quia in eo similitudo quadam cum parēte Deo elucet, qui sibi infestissimū hominū genus filij sui morte, ab æterno exitio redēptum, reconciliauit. Vnde cœlestis Patris filios Christus Dominus appellandos promisit, qui pro persecūtibus se preces ad Deū fudissent. Hinc cum mutua ignoscendi necessitate proposita ad misericordiā Ephesios superiori- ricapite, prouocasset, huius initio, cōmunem parentem

H 2

Deum



Ezech. 15.  
Luc. 17.

Deum imitandum proposuit Apostolus, qui paratissimum & promptissimum ad ignoscendum se semper esse, contestatus fuisset, quocumque temporis momento de suis flagitiis pœnitentia ductus, ad ipsum quispiam confugisset. Cùm enim naturæ lege sancitum sit, vt tales nos aliis præbeamus, quales eos in nos esse cupimus, impudētissimus esset ille, qui à Deo Patre postularet offensionis & pœnæ condonationem, qui & in fratrem, siue proximum, retinuisset armatum & infensum animum.

*Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo*

Ioan. 3.  
Esai. 55.

76. Dei imitandi rationem & conuenientiam dicit esse charitatem, cuius signum euidentissimum & typus Christi fuit dilectio, qui cùm eius inimici essemus, sola sua diuina bonitate adductus, non expectata aut requisita causa ex parte nostra, semetipsum tradidit in crucis mortem, ad saluandum & liberandum nos à peccato, & ad dandam gratiam, vt Deo conciliati, possemus eius præcepta seruari. Mortis enim ipsius sacrificium ita Patri gratum, acceptumque fuit, vt peccatis nostris expiatis, eiusque seueritate, quam peccata nostra promerebantur, in lenitatem & misericordiam commutata, suam gratiam nobis impertierit, quàm in ipsius amicitiam recepti, ad felicitatem, ius & hæreditatem consequeremur, si modò nostra opera, certaque à Deo ad id requisita media, non defuissent. Neque enim Christi mortis oblatione Pater alia ratione adductus est, vt hominibus tum remitteret peccata, tum ius ad patrimonium coeleste simul conferret, nisi pœnitentia, fides, Baptismus, spes, & id genus opera ex parte nostra, intercessissent.

Hebr. 11.  
Luc. 13.  
Marc. 6.  
Ioan. 3.  
Rom. 8.



sent. Quemadmodum enim si medicus salutaria remedia conficiat, quæ nolit æger ex eius præscripto sumere, vana sunt, & parum vtilia: ita Christi mors parui aut nullius est ei ponderis, qui, vti decet, eam sibi propriam non effecerit. Poculum immortalitatis, quod confectum est de nostra infirmitate & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus proficit: sed si non bibitur, non proficitur, inquit Augustinus. Hinc Paulus ab omni inquinamento carnis emundationem desiderabat, vt Spiritus sanctificatio in Dei timore posset à nobis perfici. Quare non immeritò peccata per Christum esse nobis donata, frequenter prædicaret Rollocus, si etiam quod nostrarum desideratur partium, adiungeret. Fide quidem & Spiritu coniunctos Christo, mortis Christi participes fieri affirmat: at quomodo Spiritus, quomodo fides, quæ per charitatem operatur, hominibus contingat, vel nescit, vel prudens & sciens reticet. Efflagitat quidem resipiscentiam, nouam scilicet vitam, in qua Lutherus poenitentia totam rationem constituebat: sed quæ homini nullam molestiam, nullam asperitatem ob admissa scelera afferat.

*Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudine*

77. Magistris purior discipulus nullam esse hæresion ait Rollocus, quæ non defendat aliquam impuritatis speciem. Propera proinde Rolloce ad Ecclesiam, quæ vt est sine, vel ruga, vel macula, castimonie, puritatisque officinas, in quibus virgines, Deo sacratae, summo studio semper instituit, fouit, defendit, donec tuæ sectæ coenosi homines, eas per vim & luxuriam diriperent, polluerent, violarēt. In hoc verò Pontificiorum mentē

*August. lib. aduersus artic. sibi falso impositos in respon. ad art. 1. 2. Corinth. 7.*

*Galat. 5.*



2. Corinth. 11.

Roman. 7.

non est assecutus, quando carnis impuras titillationes non esse peccata asserit, si maximè consensus non accesserit. Vnde & gratias agis, quòd apud te nulla impura doctrina defendatur. Nec apud nos, Rolloce, impuritati relictus est locus, at Paulo nos esse castiores affirmare non possumus, quem carnis infirmitas, motusque ratione vacui, sine tamen peccati labe, plurimum infestabant. Armato etenim diuinæ gratiæ præsidio cùm malum, quod oderat, præter voluntatem faceret, ex Domini responso fit evidens, deprecanti potius laudem, quàm labem, gloriam quàm maculam, has corruptæ carnis irritationes attulisse, licet stimulus ille maximam, diurnamque molestiam afferret: nemo enim est quantacunque iustitia & castitate præditus, qui dum viuit, has illecebras, & carnis lenocinia queat coërcere, licet, iuuante Deo, iisdem possit & resistere, & reluctari, ac eorum voluptatem respuere. Cùm enim hi carnis motus naturæ corruptæ sint effecta, luce meridiana fit clarius, peccati nullam ea habere rationem: cùm adèd peccatum ab hominis voluntate dependeat, vt si ab ea minimè fuerit profectum, nullo modo peccatum sit existimandum. Atque hoc est quod alibi Paulus dicit, se facere illud, quod non vult. Vnde sequi de malo quod agit, sic esse sentiendum, vt sit dicendus, non ipse illud agere, sed quod in ipso habitat, nempe fomes: nam velle, subiungit, adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.

*Nemo vos seducat inanibus verbis; propter hac enim venit ira Dei in filios dissidentia: nolite ergo effici*

78. Quia non omne impuritatis & impudicitæ genus,

non

E H

nus,



nus, quo polluitur corpus, lege diuina prohiberi quidam impostores docuerunt, ideo monet, ne inanibus eorum verbis, ratione scilicet vacuis, aures præbere velint, quia à Doctoribus, qui talia, inquit, inculcant, fit inde euidens, vos decipi, quòd Deus non modò in cœciam, fornicationem, &c. sed & omnem intimi animi libidinem, cui consensus accesserit, seuerissimè puniat. De qua minimè pœnam exigeret, nisi culpæ, peccatiq̃ue rationem haberet adiunctam, cum à Deo sit alienum, sine culpa pœnam cuiquam infligere. Nam cum, vt Oseas dixit, hoc peccatum cor hominis auferat, saepeque excædet, pleni sunt veteris Scripturæ libri, quanta seueritate in hoc vitij genus semper fuerit animaduersum, quod ipsum hîc etiam non tacuit Apostolus, quando in luxuriæ deditos vindictam diuinam sœuire dixit. Atque vtinam Lutheri & Sectariorum inania verba neminem decepissent, quæ carni non modò habenas laxârunt, sed & in hoc genere peccantibus licentiam & impunitatem promiserunt. Quid enim inanius, quàm parem edendi, & congregandi necessitatem profiteri? quid turpius, quàm ab vxore ad ancillam coniugem mittere? &c. & tamen quia huiusmodi turpitudinis operarij credunt, Christi que meritis nituntur, nihil vel piaculi, vel sceleris designare possunt, quos meritò proinde canes & belluas impuras hoc loco Rollocus damnat.

Osea 4.

*Eratis enim aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino.*

*Vt filij lucis ambulate, fructus enim lucis*

79. Quemadmodum apparet quis esse id, quod principem in eo loco occupat (sicut tota ciuitas videtur esse Rex, & quod Rex facit, dicitur tota facere ciuitas)

*Via peccatorum dicitur tenebrosa. Proverb. 4.*



Zachar. 8.

2. Corinth. 6.

ciuitas) sic quando peccatum in aliquo dominatur, tunc totus homo dicitur peccatum & tenebræ. Quibus verbis Apostolus innuit, in profunda aliquando fuisse Ephesios ignorantia versatos, priusquam multiformis sapientia Dei, sua prædicatione, ipsis innotuisset, per quam etiam cognoscere facile potuerunt, quas antea commemorauit multiplices effrænata carnis turpitudines, & cupiditatū fœditates, peccati vim habuisse: At nunc, inquit, in tenebris sedentibus, cū per Christum diuinæ voluntatis cognitionem acceperitis, uiuite, vt eos decet, quibus diuina sapientia affluenter contigit, opere præstate, quæ didicistis: Quasi ad generales iustitiæ fructus, & operationes prouocando actionum præcipuarum Catalogum recenseret, quibus homo iustitia præditus, & ad Deum, & ad proximum, & ad seipsum facile tum dirigitur, tum ordinatur. Atq; idè cū lucis Euangelicæ finem, non abs re vitæ probitatem & innocentiam asserat esse Rollocus, vellem responderet, cur bonorum operum exercitia, varias disciplinas, corporum castigationes, vigilias, &c. Ecclesiæ Catholicæ instituto tum excogitata, tum approbata, sui ordinis homines tanto studio contemnant, damnent, reiiciant. Vellem etiam adiungeret, an vllius semel ex hominisanimo fuerint prorsus excussæ tenebræ, an cum gratiæ luce, peccati obscuritas, vtī supra commemorauit, simul remaneat, ita vt iustitiæ cum iniquitate, luci cum tenebris sit aliqua communis societas.

*Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Videte itaque fratres, quomodo cautè*

80. Si spirituali somno oppressis nulla reliqua facultas est ad vitam spiritualem, nō magis quàm in homine mortuo



mortuo ad naturalem, cur excitari putat Rollocus arbitrij libertatem gratiæ diuinæ præuenientis dono, nisi vt cooperetur, & subsequente gratia, meritorias possit exercere vitæ æternæ operationes. Audi quæso Bernardum. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opera indiuiduè peragunt: totum quidem hoc, & totum illa: sed vt totum in illo, sic totum ex illo: & quemadmodum ex operibus, quæ facimus per solum Dei concursum naturalem, libertati nostræ non præiudicat concursus diuinus, ita neque in istis præiudicat gratuitus. Administrat quippe pro sua summa sapientia illa omnia suauissimè, & iuxta vniuscuiusque rei proprietatem & naturam. Alioqui cur dormientes, vt ex-

Bern. de gratia  
& lib. arbit.

pergiscantur, excitat? quid exhortationes & monita ad vitæ nouitatem? cur obstinata voluntatis pulsaret ostia? cur inuitat? cur clamat, si non subest dormientium potestati, vt excitati conuertantur? Dormit quidem arbitrium peccati sopore grauatum; attamen licet admissio peccato, aliquam potestatem, non tamen libertatem amisit: neminem enim cogit, sed suadet, vt rectè operemur, & quicumq; ipsi assentitur, allicit & trahit, propter eam dum veniret in mundum, alij eum receperunt, alij neglexerunt, quo respicere videtur Ioannes, quando factam dicit hominibus à Christo fuisse potestatem, vt filij Dei fierent.

Sap. 8.

Richard. lib. de  
statu hominis  
integ. cap. 22.  
August. lib. 83.  
q. quæst. 68.  
1. Retract. 26.  
Ioan. 1.

*Subiecti inuicem in timore Christi.*

81. Generalis huius constitutæ sententiæ omnes cuiusvis ordinis homines concernentis partes inferius singulariter exponentur. Audiant, inquit Hieronymus, hæc Episcopi, audiant presbyteri, & omnis ordo Doctorum, subiectis suis se esse subiectos, & hoc facit vera cha-

Coloss. 5.

I

ritas,



ritas, vt alibi: per charitatem seruite inuicem, quoniam ad hoc ipsum ad egimus Christum, vt seruiret nobis. In eo enim Spiritu, quo Christus subiectum se præbuit omnibus propter Deum, seruiens nobis in charitate, in eo nobis mutuò obsequendum & seruiendum, cupit Apostolus, non quidem sola hominum eminentiorum gloria, sed Christi timore ad hoc adductos, qui quidem Dei timor, sit potius reuerentia, quàm timor ille, quem foràs mittit charitas. Atque ideò omnis ordinis authorem constituens Rollocus Deum, vt sit ordo in omni politia & Repub. miror Ecclesiasticæ œconomix cur non meminerit, cur politico Magistratui hanc curam incumbere significârit, vt ciues ipsius in vero Dei timore retineantur, & non potius ad Ecclesiæ Præpositos & Rectores hoc munus reuocârit, quibus subiici & obedire iubentur, quotquot Christiano nomine censentur siue Reges, siue Duces, siue Imperatores, &c. qui à Petri pascuis tum doctrinæ, tum fidei, tum religionis pabulum petere sunt iussi. Cùm enim is regni cœlorum clauces ab ipso Salvatore tum pro se, tum pro sua posteritate & promissas & traditas acceperit, ita vt & aperienti, & claudendi, ligandi & soluendi, pœnas inferendi & remittendi potestatem habeat, ad eum, non ciuilem ad Magistratum Ecclesiasticæ œconomix ratio pertinebit; Politia siquidem siue potestas ciuilis, ab Ecclesiastico statu ac Rep. spiritali valdè distincta est, quemadmodum paulò antè insinuauimus, quando ipsam eandem Christi corpus mysticum appellauimus, quod natura, fine, gubernandi modo, differant, licet reciproca quadam officiorum consuetudine vtrumque indigeat, & vtrumque alterum alteri præstet; tametsi ciuile in omnibus rebus

2. Tim. 1.

Rom. 13.

Joan. 5. 1.

Matth. 16.



rebus Dei honorem vel salutem animarum quicumque modo attingentibus superiori illi, spirituali videlicet, parere, & eius præscriptione dirigi debeat, quemadmodum vetustatis monumenta Pontificibus & Episcopis Imperatores, Duces, &c. ad nutum obedisse testantur. Numerianus, siquidem à Babyla Episcopo Antiocheno correptus nunquam paruiſſet, niſi eum gradu dignitatis maiorem ſe eſſe ſciuiſſet. Nec ſe Theodoſius Ambroſio ſubiiciffet, nec à Symmacho Papa Anaſtaſius, nec ab Innocentio cum Eudoxia Arcadius latam contra ſe excommunicationis ſententiam æquo tuliffent animo, niſi dignitatem Episcoporum ſua ciuili maiorem non modò agnouiffent, ſed & eos Chriſti nomine in terris legatione fungi vltro fuiſſent confeſſi. Audierant enim Petrum monentem, vt iſtis tanquam Præpoſitis obedirent, eiſque ſubiacerent, quod iſi peruigilent quaſi rationem pro iſorū animabus reddituri. Audierāt Paulum monentem, qui benè præſunt præbyteros, parentum loco habendos, atque adeò duplici, id eſt, maximo honore dignos, qui verbo & doctrina laborant, eiſque tanquam Deo ex charitate obedientiam deberi, qui nos in Chriſto Ieſu per Euangelium genuerunt.

Gregor. Nyſſ.

Actor. 20.

1. Timoth. 5.

*Mulieres uiris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domina, quoniam uir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt*

82. Quia diuerſi ſtatus & conditionis hominibus obedientiam generatim præceperat Apoſtolus, hîc primò obtemperandi conditiones œconomix, quæ tres, uiri ſcilicet & mulieris, patris & filij, Domini & ſerui, conneſiones habet, præſcribit. Ac in primis mulieribus potiores partes negans, ad ſubiectionem eas inuitat, ne



1. Pet. 3.  
1. Cor. 11.

Eccles. 2.

viris suis sint, vt est apud Ecclesiasticum, contraria: sed potius eorum, ceu dominorum, in licitis scilicet & honestis, morem gerant voluntati, non quod viri coniugibus veluti seruis, qui non suam, sed solius Domini vtilitatem spectare solent, vti debeant, sed quòd vxoribus in his, quæ ad communem vtilitatem pertinent, virorum imperio sit obtemperandum, quomodo Apostolorum princeps etiam præcipit, vt viris suis mulieres sint idèò subditæ, quòd vir mulieris sit caput. Cùm enim in capite sensus præcipui vigeant (Sapientis enim oculi in capite eius) idèò ad virum mulieris gubernatio, sicut ad Christum Ecclesiæ regimen pertinet.

*Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo: ita & mulieres viris suis in omnibus*

Theoph. Chryf.  
Ephrphan. Am  
brof. in hunc  
locum.

Aug. in hunc  
locum & lib. 6.  
commentar. in  
Lucam ad c. 8.

83. His satis liquet, matrimonium esse in ordinem rerum sacrarum à Christo redactum, & quidem ita, vt signum sit institutum gratiæ & mutuæ charitatis, quæ debet esse inter coniuges, sicut est inter Christum & Ecclesiam. Huius enim Sacramenti gratia efficit, vt vir & vxor mutuæ charitatis vinculo coniuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienosque & illicitos amores & concubitus non quærat, sed in omnibus sit honorabile connubium & thorus immaculatus. Hinc est, quòd Augustinus in nostris dicat nuptiis plus valere sanctitatem Sacramenti, quàm fœcunditatem vteri, cuius effectum hunc esse conuincit Paulus, vinculum inter coniuges indissolubile casti pudoris, fidei & amicitie plenissimū, adèò vt sicut Ecclesiam indissolubili nexu, sibi Christus, fide scilicet despōsavit: ita matrimonij res, inquit Augustinus, hæc sit, vt mas & fœmina connubio

copu-



copulati, quamdiu viuunt, inseparabiliter perseuerent, simul ita cohabitent, vt mulier ceu membrum capiti, viro tanquam superiori minimè repugnet, sed sicut Ecclesia Christo in omnibus obtemperet. Vnde cum vir Christo, Ecclesiae vxor cõparetur, fit perspicuum, mulieris esse virum, sicut Christus est caput Ecclesiae, eaque ratione fit, vt vir vxorem diligere debeat, & vicissim vxor virum.

*Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt illam*

84. Triplici ratione viri erga mulierem affectum promouere nititur: quarum prima est, à Christi exemplo, qui tanta dilectione profecutus est Ecclesiam, quanta maior excogitari non potest, cum maiorem charitatem exhibere nemo possit, quàm si vitam alterius causa profundat. In hoc, dicit D. Ioannes, cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam posuit pro nobis. Christus enim, vt Ecclesiam per Spiritum sanctum non nudis verbis & cõceptibus, sed gratiae infusione doceret omnem virtutem & veritatem, ita vt doctrinae eius vita posset respondere, seipsum tradidit pro ea in mortem, corpus scilicet suum donans, vt illi sanctificationis Spiritum impetraret.

Coloss. 2.  
Galat. 2.  
Ezech. 52.

1. Ioan. 2.  
Ioan. 10.  
Hebr. &lt;time>

*Mundans eam lauacro aque.*

85. Ineptè fingit Rollocus, Baptismum interne purgationis duntaxat esse Symbolum, cum Paulus huic Sacramento mundandi vim & efficaciam sic adscribat, quasi virtutè à Christi passione acceperit, vt ad gratiam producendam efficaciter posset vsurpari. Deus enim hoc & aliis Sacramentis, tanquam instrumentis separa-

a Rom. 6.  
Ezech. 36.  
Zachar. 13.  
Matth. &lt;



tis utitur ad gratiæ productionem. Aded, ut in illis tanquam causis instrumentalibus gratia virtualiter contineatur, & non tantum in iis sit, ut in nudo signo, ut velle hic videtur idem Rollocus. Miratur proinde Augustinus, quæ tanta sit virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat. Quod enim in corpore natum est fieri per aquam, intelligendum est fieri intus per Spiritum. Dicitur enim fieri per aquam, quoniam sine hac humiliatione hominis ad aquæ lauacrum non lauaret animam Deus, sicut Naamani lepra, nisi <sup>b</sup> Iordanis aquam non potuit sanari, alioqui Baptismus dici non posset lauacrum regenerationis, si nos per illum Deus non lauaret, cum tamen ex aqua & Spiritu sancto simul à Christo <sup>c</sup> dicantur homines regenerari in novum hominem, & in statu filiorum Dei constitui, ut hereditatem regni Dei possint percipere.

b 4. Reg. 5.

c Ioann. 3.

*In verbo vitæ.*

86. Et hic Rollocus hallucinatur, verbum vitæ, aquæ adiunctum, Sacramenti tantum usum & significationem explicare somnians, quasi ad ipsius Baptismi substantiam non pertineret, & simul gratiam in anima non operaretur. Immò Rolloce, aquæ verbum adueniens dat ei virtutem peccata diluendi. - Eo enim ipso, quod quis aqua à ministro tingitur, horum verborum accedente forma: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. peccatorum remissionem & gratiam, ac plurima alia dona, atque etiam virtutes reipsa in animo regeneratus consequitur. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi*

Lib. 2. retract.  
cap. 18.

87. Describit, inquit Augustinus, Ecclesiam Apostolus, non quæ iam sit, sed quæ præparatur ut sit, quando appare-



apparebit etiam gloriosa, cum enim, ait, non tantum dixerit, ut exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, sed etiam addiderit gloriosam: satis significauit, quando erit sine macula, aut aliquid huiusmodi, tunc utique gloriosa. Non enim modo in tantis malis, tantis scandalis, in tanta permitione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum dicendum est, esse eam gloriosam. Nam si Dominus ipse non fuit glorificatus, nisi resurrectionis gloria, quomodo dicenda est eius Ecclesia ante resurrectionem suam esse gloriosa. Mundat ergo eam lauacro aquae, abluens peccata praeterita, deinde perficiens eius sanitates, facit eam occurrere in illam gloriosam sine macula vel ruga. Haec Augustinus. Quae videntur eò tendere, ut gloriosa non dici debeat, quae hinc militat Ecclesia. At cum Baptismus omnes omnino maculas delet, dici potest Ecclesiae membra reddere immaculata. Quod adiungit sine ruga, id certum est, ad Baptismi nouitatem pertinere, qui veterem hominem sustulit & absumpsit. Renouatur quippe, ut aquilae<sup>a</sup> iuuentus nostra per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, per Baptismum etiam Christo spōso gloriosa illi Virgo genere ac virtute clara, pulchra, munda, veste preciosa, auro gemmisque ornata exhibetur, qualē certē nunc etiam credimus esse: non in omni parte sua quidē, nam id non est necesse: sed in multis membris, quorum sanctitas & puritas facit, ut Ecclesia ipsa sancta, vera, immaculataque dicatur, sicut in paruulis & adultis, qui primū baptizati sunt, vsu venit, & in his, qui criminibus mortalibus carent, secundum quod contra Rollocum regenerati perfecte sanctificati dici possunt, immo beati immaculati in via, qui in Dñi

*Lib. de perfect. instit.*

*Eccles. 23.*

*a 1. Pet. 2. dicuntur regenerati quasi modo nati infantes.*

*Psalm. 102. Ad Titum 30.*

*1. Petr. 2.*

lege



Psal. 118.

lege à Propheta prædicantur, & cùm se ab iniquitate seruauerint, dicuntur cum Deo esse immaculati, qui per Baptismum Christianæ Reipub. sunt insiti ciues.

*Qui suam uxore diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet*

Genes. 2.

Matth. 19.

Eccles. 2. 15.

88. Cùm natura homini compararit, vt seipsum diligit, vir porrò & mulier vnum quodammodò sint, cùm sicut anime caro; ita viro mulier sit subdita, fit vt sicut seipsum homo odisse non potest, ita naturæ repugnare, si vxorem odio prosequatur. Caro siquidem, si secundùm se consideretur, odio haberi non potest, cuius fouendæ & sustentandæ causa, tot tantiq; labores ab hominibus sepe suscipiuntur. Verùm si prout à Dei visione & beatitudine retrahit, in quã natura ferimur, spectetur (quamdiu enim in hoc corpore sumus, <sup>a</sup> peregrinamur à Dño)

a 2. Cor. 5.

Rom. 7.

1. Cor. 9.

Philip. 1.

ideò contigit sanctis hominibus, carnis molem, vt velent deponere, non tanquam malam, & odio persecutam, sed velut maioris boni impedimētum. Atq; etiam inde prouenit, quòd à sanctis hominibus affligatur & castigetur caro, quòd scilicet virtutum habitus, quibus ad vltimum finē disponitur, eius lasciuiua sapè impediatur.

2. Cor. 9.

Qui tamen ita carnem in seruitutem redigit, odio eam prosequi dicendus non est, sed eam potius diligere, quia eius bonum procurat, quod in eo situm est, vt Spiritui seruiat, sicut hominis bonum est, quod Deo subiiciatur: Mihi, inquit Propheta, adhærere Deo bonum est.

Psal. 72.

*Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adheret uxori suæ: & erunt duo in carne vna.*

Matth. 19.

89. Et hîc Rollocus ex voce Misterij Papistis mirificè insultat, quasi non debuerint huius vocabuli præsidio, nouum Sacramentũ fabricare, quæ scilicet tantũ rem arcanam,



arcanam, & sacram, non verò Symbolum, aut signum rei sacrae significet. Mysterij igitur nomine, inquit, significatur spiritualis Christi & Ecclesiae, non viri & vxoris coniunctio, sed longè falli hominem opinione contextus euincit, cum enim dixisset hîc Apostolus, relinquet patrem & matrem, & adhaerebit vxori sui, & erunt duo in carne vna, subiunxit, hoc, nempe relinquere patrem & matrem, esse duo in carne, &c. magnum est Sacramentum, quia Christi & Ecclesiae coniugium repraesentat, quasi Paulus coniuges ad mutuam beneuolentiam prouocaturus, insinuare velit, matrimonium non esse rem leuem, aut contemnendam, sed in eo magnum includi mysterium, quod ad Christum & Ecclesiam referatur. Christi enim & Ecclesiae coniunctio eius mysterij, quod est in fidelium cōiugio, terminus est & finis. Vnde concludit Augustinus, non esse Sacramentum, nisi in Ecclesia, quia ibi solum Christi & Ecclesiae coniunctionem repraesentat, vbi non solum ex naturae conformitate, sed ex spirituali charitate, qua Christus Ecclesiam diligit, & sanctè gubernat, ipsaq; Ecclesia Christo per fidē, spem, & charitatem adhaerere cernitur, matrimonium consideratur, in quo Deus virum & foeminam ad hunc finem coniungit, vt spirituali sua vnione, vnionem spiritua- lem Christi & Ecclesiae significant, cui rei gratiam etiam largitur, sine qua spiritualement illam vnionem non haberent.

Bellarm.

*Sacramentum hoc magnum est.*

90. Quaedam Sacramenta magna ob diuersa effecta, diuersasq; prerogatiuas dicuntur: primùm Baptismus, cuius effecta sunt peccati perfecta remissio, & haereditatis coelestis adoptio. Cōfirmatio, quia est Baptismi com-  
 K plemen-



plementum & perfectio, per quam Spiritus sancti plenitudo confertur. Cùm autem reipsa Christum Eucharistia contineat, & non mystico siue spiritali modo tantùm, vt vult Rollocus, Sacramentorum maximum dici nō immeritò posse, Patres illi censuerūt, à quibus *τελετή* *τελετῶν* est appellata: & quia Matrimonium per viri & uxoris coniunctionem, reluctante Rolloco, Christi & Ecclesiæ cōiugium significat, magnum ab Apostolo hīc optimo iure, nominatur. Neq; enim repugnat (quod non intelligit Rollocus) aliquid esse corporale, quod sit etiam simul mysterium. Manna siquidem corporeum erat, & tamen Christi corporis, prout in Sacramēto reipsa quoad diuinitatem & humanitatem sumitur, vt & agnus paschalis erat figura, sicut aqua profluens ex petra corpus erat, & tamē qui eam bibebant, dicūtur à Paulo de consequēte eos petra bibisse. Quare (quod fingit Rollocus) non propter vnā Sacramēti vocem adducta est Ecclesia, vt distinctam habere Sacramenti rationem doceret Matrimonium, sed quia est signum siue Symbolum rei sacræ, non autem contractus civilis & naturalis, quē minister Ecclesiæ promulget. Neq; enim ad huius Sacramenti celebrationē ministerij aliū vel aliā quā contrahentium opera opus est, licet Ecclesiæ instituto, nuperrima hæc conditio accesserit, vt Matrimonium ratum illud non habeatur, cui legitimus pastor non interfuerit.

*Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Veruntamen & vos singuli vnusquisq; uxorem suam sicut seipsum diligit.*

91. Cùm Matrimonium fanis ad officium, agrotis, Augustino teste, sit ad remedium, Christi verò remedia aduersus peccata non sint, nisi per gratiam, perspicuū fit, Matri-

*Ioan. 6.  
1. Cor. 10.*

*Concil. Trid.*

*Concil. Trid.*

*Lib. 9. super  
Genes. ad lit.  
sap. 7.*



Matrimonium ad hoc, vt inter coniuges mutui amoris affectio foueatur, gratiam afferre, licet enim natura homini in seuerit, vt appetitio naturalis, debitæ actioni consentiat, secundum quam relictis parētibus, vir vxori adhærens, magis ei quàm suis progenitoribus conglutinetur: gratia tamen opus est, vt id ritè fiat, & trinus Matrimonij bonorum vsus ad Dei gloriam dirigatur. Sicut ergò cum Ecclesia Christus colligatur: ita homini cum vxore maxima coniunctio esse debet, quæ vt fide, prole, & Sacramento retineatur necesse est. Maximum est inter patrem & filium, inter filium & matrem vinculum, tamen ab hoc per alium spiritualis Matrimonij nexum validiorem distractus est homo Christus, qui tãto amore est Ecclesiam suam profecutus, vt se & à patre quodam modo segregaret, & à matre legibus istius sæculi & viri se submittere. A patre quidem visus est disiungi Christus quodammodo propter Ecclesiam, quando in forma serui mundo apparuit: Exiui, inquit, à patre, & veni in mūdum: segregauit & se à matre, cùm propter eandem Ecclesiam mortuus est in cruce, ipsa matre discipulo, quem diligebat, commissa & relicta. Vt ergo triplex connexio viri ad mulierem, quæ & in consuetudine, & in amore, & in opere carnis consistit, ad Christi & Ecclesiæ imitationem firma, stabilis, & diutina esse possit, quæ demùm mortis legibus terminatur, gratiæ diuinæ adiuumento opus est. Atque ita Geneseos Scripturam interpretari videtur Apostolus: Si, inquit Rollocus, Sacramenti proprius finis est, nostri cū Deo reconciliatio, qua vniciq; opus est, cur sacrificuli vxores nō ducunt? Non est, Rolloce, omnibus Sacramentis hoc effectum commune, vt per se Deo homines recōcilient, quod ex



natura sua tum Baptismo, tum Poenitētiæ est proprium, sed vt Scholæ Theologi loquuntur, per accidens, sacrifici, vt loqui soles, onerum Matrimonij molē, cum ferre nec possint, nec velint, eius gratiæ præsidio non egent, quo facilia redduntur ea Matrimonij onera, sed Spiritus sancti in sua ordinatione accepto munere, in iis, quæ sui ordinis & officij sunt, vtuntur, iuuantur, & diriguntur.

## CAPVT SEXTVM.

*Filij obedite parentibus vestris in DOMINO.*

92.



LLATÆ suprâ sententiæ (subiecti estote inuicem in timore CHRISTI) secundam adfert subiectionū speciem: Prima vxoris erat & mariti. Quæ soquitur, ad filios erga parentes spectat. Cùm ergò proximi charitas à charitate DEI ortum habeat, atque ad eam tanquam ad certam regulam dirigenda sit, tum quando parentes habere charos, ipsis parere, ipsos reuereri iubemur, id ea re maximè faciendum est, quòd eorum procreator sit DEVS, eosque liberis præesse voluit, quorum opera ipsos regit ac tuetur: qui cùm nobis auctor sit, vt eos reuereamur, idcirco id præstare debemus, quia à DEO hoc ipso dignantur honore. Ex quo fit, vt honor, quem parentibus habemus, DEO potius quàm hominibus haberi videatur. Atque hoc est, quod adiunxit Apostolus in Domino, quia amor, quo vel parentes, vel proximi diliguntur, suis finibus est circumscriptus. Iubet quidem Dominus diligere proximos, sicut nos ipsos: at si quis modum excedat, vt parem DEO & proximis honorem tribuat, grauissimè peccat, in quam

Luc. 10.



inquam sententiam videtur Saluator dixisse: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, non potest meus esse discipulus.

*Matth. 16.*

*Hoc enim iustum est: Honora patrem tuum. & matrem tuam.*

93. Cur parentes sint honore prosequendi, dat rationem ex duobus: ex iustitia scilicet, & ex utilitate. Iustum esse patet, quia lex Domini nihil imperat, nisi quod iustum est: at eadem lex liberis iubet, ut honorifice de parentibus sentiant, & quæ sunt eorum, maximi ab ipsis faciant, ipsos ament & reuerentur, tanquam se superiores, ipsis obediant, à quibus vitæ & morum disciplinis erudiuntur, si modò ea disciplina Dei præceptis non repugnet, alioqui dubium non est, quin liberi parentum cupiditati, Dei voluntatem præferre semper debeant, cum obedire Deo magis quam hominibus oporteat, & quod Scriptura seuerè inculcat, parentibus omnia officia debentur à liberis, quæ tum ad ad animi, tum corporis eorum bona pertinere intellexerint, ut illis scilicet benefaciant, eorum sana consilia sequantur, &c. ne Chami execrationis fulmine tandem percutiantur.

*Matth. 10.*

*Luc. 9.*

*Act. 5.*

*Quod est mandatum primum in promissione, ut benè sit tibi, ut sis longæuus super terram.*

94. Sicut prioris tabulæ primo præcepto, rerum omnium opifici Deo religionem, cultum, charitatem: ita posterioris primo, parentibus, qui Dei quoddam simulachrum sunt, in quibus ortus nostri quædam imago cernitur, quod ab ipsis natura, vita, disciplina nobis contingerit, reuerentiam, amorem, obseruantiam iubemur exhibere. Quibus pietatis officiis adiuncta mercedis loco huius & futuræ vitæ longioris est extēsiō, quam supra

*Catech. h. b.*

*Rom.*



vitæ mortalis fines, quos à parentibus acceperunt, diuturniorem hæc parentum reuerentia fit adiunctura, aut in futura beata immortalitate fit etiam compensanda. Quæ compensatio ipsos ethnicos non latuit, cuius convenientiam vel ex sacris literis, vel ex sua ratione siue iudicio, ipsos collegisse fit inde perspicuum, quòd præcepta de honore parentibus post Deum debito, grauius & concorditer tradiderint: sed tamen quia ad Dei immortalis cultum ea expressè non reuocabantur, ineptè colligit Rollocus, eiusmodi obedientiam fuisse (ciuilitè saltem) simulatam & hypocriticam, &c. Quæ enim recto rationis ducta nituntur, & ab humano iudicio ritè proueniunt, suis finibus non carent, qui fines, quando honestatis aut iustitiæ legibus constringuntur, mali esse non possunt, atq; etiam sua mercede non carent.

*Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione.*

*Dan. 11.  
Coloss. 3.*

95. Patris erga filium principatus à Domini in seruum planè dissimilis esse debet, quòd Domini seruis ad propriam, parentes filiis ad ipsorum vtilitatem debeant uti, hinc fit, quòd certos fines præscribat Apostolus parentibus erudiendi filios, ut scilicet cum se liberis exhibuerint magistros Christianæ virtutis, continentię, pietatis, ne quid acerbius aut loquantur, aut in eos statuunt, ut nimiam seueritatem effugiendo, non tam liberos vlcisci, quàm corrigere videantur; sic fiet, ut parentum disciplina sanis consiliis ex iusto amore & sincera charitate profectis, niti videatur.

*Serui obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo non*

96. Studiosè admodum diuersis locis, officij memores

res



res seruos esse cupit Apostolus, quia sub ipsis Ecclesiæ primordiis non deërant, qui docerent, Christiano libertati derogare, si credentes etiam empticij infidelibus Dominis seruissent. Has itaq; seruitutis Christianorum seruorum condiciones adiunctas cupit, vt Dominis in timore ac tremore obediant, quòd extremo iudicij die, Christus eorum rationem ad amissim, quæ ipsi præstiterint, sit exacturus, vnde & eos synceros, simplices, proclines, beneuolos, faciles esse cupit, non vt iis, qui hominibus probari solùm student, sint similes, sed potius, vt nullo hominũ, sed Dei solius respectu tanquam illi seruietes, suum obsequium Dominis exhibeant. Inanis est proinde Rolloci præoccupatio, ex his confici non humanis, sed diuinis tantùm legibus conscientias hominum propriè obligari, quia, inquit, humana lex tantùm obligat propter legem Dei, quæ præcipit obedientiam legi humanæ.

Luc. 12.  
Sap. 1.  
Coloss. 3. 4.  
1. Tim. 3.

97. Sed videtur Rollocus Christianum, in carnis libertatem contrà Apostoli decretum, transferre velle, conscientia reclamante, quem fugere non potest Scripturæ multiplex authoritas condendi leges, quibus necessariò parendum sit ad peccatum vitandum, & ad consequendam beatitudinem. Quid enim hoc est? Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit: Visum est Spiritui sancto & nobis: Obedite præpositis vestris, sicut Domino. Quibus non obscure docemur, humanas leges eam habere vim, iuxta legis æternæ, & diuinæ, & naturalis præscriptum, vt obligare possint conscientias hominum, tanquam causæ inferiores, etsi non agant, nisi vt dependent à prima, cum & ipsæ etiam agant, lex enim natu-

Gal. 5.

1. Reg. 8.  
Proverb. 8.  
Luc. 10.  
Act. 15.  
Rom. 13.



naturalis & diuina, non quomodocunque præscribunt, id ipsum faciendum esse, quod lex humana statuit: sed faciendum idcirco etiam esse, quoniam lex humana præscribat, siue quatenus ab ea præscribitur. Nam humana potestas de omni eo, quod ad commune bonum pertinet, ut sunt quidam virtutum actus, aliquam legem præscribere potest, ut de Quadragesimæ, verbi gratia, ieiunio, tametsi de iis per legem diuinam, aut naturalem in particulari nihil sit præscriptum, quam facultatem præsupposuisse videtur Saluator, quando omnia, quæcunque dixissent<sup>a</sup> Scribæ & Pharisei, esse seruanda præcepit, licet enim humana instituta à Deo videantur subinde reprehendi, ea tamen solum intelligenda sunt damnari, quæ diuinis legibus repugnant, &c. Hinc fit perspicuum, damnationis supplicio mulctandos, qui caerimonias, ritus, & instituta Ecclesiæ authoritate præscripta negligunt.

<sup>a</sup> *Matth. 23.*

*Gal. 5.*

*Hier. in comm.  
epist. ad Clem.  
Alexand. lib. 3.  
Strom.*

*Scientes, quoniam vnusquisque quodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus siue*

98. Cùm DEVS Euangelicè iudicat, inquit Rollocus, non iudicat ex pacto operum, seu obedientiæ propriæ, quæ legi satisfaciatur, sed ex pacto fidei, siue iustitiæ CHRISTI per fidem nobis applicatæ, & tamen secundum opera, ut secundum testimonia & argumenta fidei, ex qua proficiscuntur, & quæ fidem esse in hominibus testentur. Et si crepet Rollocus præmium, tamen siue serui, siue Domini in ipso merito quodammodo est absconditum, neque illud ipsummet bonum, quod facit, sed eius mercedem sine vlllo conditionis respectu (DEVS enim non tam personæ, quam operis ratio-

*Luc. 22.  
Rom. 2.*



rationem intuetur) quicumque tandem ille sit, accipiet. Quod verò non opera, sed fidem, quam testantur opera, præmij promissionem, siue mercedem accipere fingit Rollocus, nihil aliud euincit, quàm fidem ex diuina promissione & lege præmio compensari. Quod si ita est, cur operibus ex fide & gratia profectis præmium negat? Cùm enim mereri nihil aliud sit, quàm opus ex promissione siue conuentione compensari, cur hoc cùm tribuat fidei & operibus, ea tamen esse merita vadit inficias? Sanè verò paterfamilias iubens solui mercedem his, qui pondus & æstus diei portauerunt, non tam fidè, quàm opera remunerabat, vt qui reddit vnicuique iuxta opera sua, id est, vt alibi dicit Apostolus, qui daturus est pro operibus retributionem hæreditatis. Quare & illud longè absurdissimum est, quod ait, opera imperfecta, id est, peccata, compensari, quasi Deus peccata remuneret, & vitæ æternæ præmio compenset: sed eò sunt erroris progressi Sectarij, vt hominis mentem, per gratiam sanatam, non capiant diuinæ voluntati facere satis, eius legibus & imperatis, &c. obtemperando.

*De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia, virtutis eius. Induite vos armaturam Dei*

99. Quoniã Deo cura est de nobis, ideo sicut monet Apostolorum princeps, vt in eo omnè nostram sollicitudinem, sic Paulus nostram fiduciã proiiciamus, quia non modò sufficiens, sed & potens, & præsto est ad ferendam opem, non quod præter fiduciam potètiæ Dei, quod suarum est partium, homo præstare non debeat, vt vult Rollocus, quia sicut sub potentissimo rege quis inermis absque periculo militiæ stipendia facere non potest: ita nisi quis donis & virtutibus cõtra hostem & bel-

L latorem



latorem peritissimum ad certamē descenderit, satis tutus esse non potest. Vnde subditur:

*Quoniam nō est nobis collustratio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates.*

100. Licet aliqui carnis & sanguinis nominibus hominem intelligant, quasi aduersus homines, in quibus dæmones pugnant, non sit nobis pugna: alij verò carnem & sanguinem impuros ebullientis carnis motus interpretentur, in quo cum brutis conspiramus, non tamen à Pauli mente videntur alieni, qui sermonem ad vitæ perfectioris studiosos hîc referri oportere existimant, quasi iam superata carne, quæ quidem atrox & molesta est, restet lucta cum atrocioribus hostibus, quasi dicatur bellum, quod cum carne est alicui, nullius esse molis, si cum eo conferatur, quod nobis est cum dæmonibus, qui non modò potentia & virtute, sed & fraude, & dolo malo stare solent ex insidiis. At propterea mundi rectores vocantur, quod hominibus, mundo deditis, dominantur, in quorum cogitationibus, & consiliis sunt longè efficacissimi. Cùm enim naturâ Spiritus, ingenio nequissimi atque versutissimi sint, & in hoc aëre caliginoso versentur nobis proximi, perspicuum est, quomodo muniti omnes esse debeant, qui se velint eis opponere. Quæ quidem oppositio virilis esse debet, cùm de re maximi ponderis sit cum iis concertatio: nam eorum conatus & rabies eò feruntur, vt decipiant incautos, vt vnde illi ceciderunt, arceant, ne illuc ascendere valeamus.

*Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.*

101. Quia de re maximi ponderis concertatio est iis, qui



qui iam in gratia progressus fecerunt, cum potentissimis & nequissimis hostibus, propterea salutis nostræ nos esse sollicitos, cupiens, vniuersum spirituale armorum genus, quo ab eis protegere nos possemus insinuat. Quemadmodum verò corporale indumentorum genus triplex est: ita spirituale. Quoddam enim ordinatur, ne nudi cum hostibus congregiamur, & illud hîc à Paulo ponitur balteum castitatis, lorica iustitiæ, & calceamentum pedum, quæ sunt paupertas & puritas, quibus monemur, vt corporeis & fluxis bonis contemptis, desiderio bonorum spiritualium flagremus. Verùm tanto certamini non satis sunt indumenta communia, quibus contra hyemis rigorem, vel ardores æstiuæ temporis corpora nostra contegimus, quare peritissimus militiæ Christianæ Dux duo alia addidit, quibus præcipuæ corporis partes, quæque principia vitæ à Philosophis existimantur, cor scilicet, & cerebrum communire possimus, in omnibus, inquit, sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite. Fidem scuto comparat, quòd fides munimentum sit omnium virtutum, quia sicut scutum supponitur omnibus armis: ita fides omnibus aliis virtutibus; & quemadmodum scuto repelluntur tela: ita per fidem omnia contraria. Quando enim viuida est fides, facile omnia tela inimici repellit, & ne quicquam noceant, extinguit: neque enim terrenis deluditur oblectamentis, qui verè credit cœlestia. Fides, inquit Augustinus, scutum est, sub quo tuta est iustitia, sicut sub munimine omnium virtutum.

102. Licet nomine galeæ salutaris spes, iuxta quosdã intelligatur, quia sicuti galea, capitis est munimentum:



ita spes est de fine, qui caput est virtutum moralium: alij verò etfi charitatem galeam vocent, quòd quemadmodum galea cæteris armis supponitur: ita charitas complementum est & perfectio omnium virtutum, non tamen abs re alij prudentiam galeam intelligunt, quod prudentiæ, sicut & galeæ, sedes est caput, sensuum enim & moderatrix est prudentia, & auriga virtutum, quæ neq; in hoc, vel illud extremum torpore, aut feruore nimio declinare quemque patitur.

*Et galeam salutis assumite: & gladium spiritus, quod est verbum Dei.*

103. Non modò ad sui defensionem, sed & ad aliorum impugnationem arma suppeditat Apostolus: Sicut enim gladio corporaliter hostis oppugnatur: ita spirituales inimici Dei verbo, quod est acutius, quàm quivis gladius vtrinque scindens, vti debent Christiani, hostes impugnaturi. Non enim solum corporis membra incidit diuinus sermo, sed pertingit vsque ad animam, adeò hanc vt in partes disseccet: in partem, qua cõmunicamus cum brutis, quam animam vocat, & in partem, qua præstamus brutis, hoc est, rationem & voluntatem, quæ pars Spiritus etiã appellatur, prædicatio verò gladius Spiritus dicitur, qui non penetrat vsq; ad Spiritum, nisi ducatur à Spiritu sancto. Hinc ipsa veritas: Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Hoc sanè Spiritu incitatus non est, cùm prædicat Rollocus, qui Dei verbum, quàm latè pateat, non intelligit, in ipsis Theologiæ ianuis aberrans, cùm alteram verbi Dei partem ignoret, quæ non minus ad pugnandum necessaria est, quàm id, quod literis est expressum. Nam à damone tentatus de perpetua B. Mariæ virginitate, de descen-

*Hebr. 4.*

*Matth. 10.*

su



fu Christi ad inferos, de librorum Canonicorum numero & auctoritate, quod respondebit? Nihil fanè, nisi ea ipsa, quæ sunt ab Apostolis viua voce tradita, diuini verbi loco reuerèter habeat, nā gladius, qui est verbū Dei, anceps nō erit, nec vtrimq; ad scindendū aptus, nisi verbum, quod ex ore Dei procedit, vna ex parte verbo scripto, altera nō scripto possit scindere. Quas traditiones, quia per sermonem acceptas, religiosè seruari iuebantur Apostolorū temporibus Christiani, ideo eas obuiis vlnis amplectimur, nec vincimur, immò vincimus Dei verbo tum scripto, tum per manus tradito, quando Angelos & Sanctos (quos ipse demortuos petulāter vocat, cū Deus ipforum, sicut & Abraham, Isaac & Iacob nō mortuorum, sed viuorum sit Deus) adoramus. Neq; enim vt mordendo insinuat, vel Angelis, vel Sanctis diuinum honorem, qui Deo debetur, tribuimus, sicut Deo solet exhiberi, sed eis tanquam Dei amicis & præstantibus creaturis diuersæ rationis honore, cultum, &c. exhibemus ab eo, qui Deo debetur, vt quando petimus ab iis, velint nostra causā Deum orare, aliquid impetrare. ipsis aliquid ceu Dei seruis promittimus, &c.

1. Corinth. 11.  
1. Thessal. 2.

*In orationem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia*

104. Vbi, quibusue præsidii hæc arma tum nobis, tū aliis possimus tempore difficili in promptu habere, & militiæ Christianæ peritissimus Dux, & Ecclesiæ antesignanus docet esse perfectam orationem & obsecrationem, quæ ab vnoquoq; summa vigilantia, summa fide, summoq; studio ac demissione reuerenti debet exerceri. Cū enim demones per nos ipsos, per mundum, per seipsos nobis infestissimi sint, ideò hîc Paulus, sicut alibi



passim Scriptura, orationis & vigiliarū spiritualium adiumentis nos esse munitos oportere hortantur. Cū enim imbecilles simus, & multis nominibus nostris hostibus impares, præcipua verò nostræ perseuerantiæ pars ex Dei dono sit, ante omnia ad perseuerantiā necessaria est iugis feruens & deuota oratio. Ita Propheta suis hostibus sua opinione inferior, Deum adibat adiutorē in oportunitate, atq; ideo Christum dixisse, putat Augustinus, oportere semper orare, & nunquam deficere vt perseuerantiæ donum impetremus. Cui si diligens obseruatio diuinæ legis accesserit, nihil non eiusmodi oratio est impetratura. Verba enim sunt Saluatoris: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis: Quia verò vt sub oratione, quæ Deo debentur, omnia cōtinentur: ita sub ieiunio, quæ nobismetipsis: & sub eleemosyna, quæ proximis: orationi adiungendum esse ieiuniū & eleemosynā is intelliget, qui tribus his vniuersam erga nos & proximum disciplinam contineri facillè animaduertet.

*Vt detur mihi sermo in aperitione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Euangelij, pro quo legatione*

105. Cū Paulus, inquit Rollocus, Ecclesias hortetur, vt pro se orare Deū velint, viuus se non agnouit mediatorem. Quod si non, dum in viuis esset, neque etiam nunc, vita functus. Quasi verò Pauli charitas in cœlis deferbuerit, qua maxima flagrâsse ipsum hæc epistola luculentissimè testatur in terris, qui toties pro Christianorum salute ardentissimas preces profudisse perhibetur. Neq; propterea ei tribuimus, quæ ad vnicum, absolutissimum, perfectissimumq; mediatorem spectant, cuiusmodi sunt, vt secundū aliam & aliam naturam sit

Deus



Deus & homo, quod vi sua, & non alio adminiculo fuerit officio mediatoris functus, quod absolutam peccatorum remissionem, præteritis, præsentibus, & futuris hominibus obtinuerit. Sed hoc est, Rolloce, quod Sanctis & beatis cælum inhabitantibus ab Orthodoxis tribuitur, quod Christi mediatoris meritis nixi, ad salutem hominum sua, vel intercessione, vel opera, & charitate possint cooperari, & sic petita (si ex parte petentium nihil defuerit) impetrare, quibus & propter singularem quandam excellentiam, cultum & reuerentiam exhibemus.

*Magne S. PAULI, Vas electionis intercede  
ad Deum pro omnibus nobis.*



*Explicatio hæc epistola D. PAULI ad Ephesios orthodoxa mihi videtur in omnibus, planeq; dignissima, quæ typis excusa, etiam publicè hîc ad disputandum proponatur*

ALBERTVS HVNGERVS Academiæ  
Ingolstadianæ Professor, Theologus,  
Procancellarius, & pro tempore Col-  
legij Theologici Decanus,




Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





















TROP<sup>ha</sup>

MARIANA

Steuartij  
exegesis in  
epist. d. P.  
ad Ephes.

Eiusdem  
apolog. pro  
Societate.

Th

6009